PRIMUS TOMUS.

DE FORMA, ET MODO PROCEDENDI,

TAM IN CAUSIS CIVILIBUS, quàm in criminalibus, agitandis in Tribunalibus Sæcularibus, tam in prima, quàm in reliquis inſtantiis.

SUMMA.

Primus Tomus hujus Praxis octo partibus clauditur.

IN iſto primo Tomo erit agendum de praxi, forma, & modo procedendi in cauſis civilibus, & criminalibus, in foro Sæculari agitandis, tam in prima, quàm in aliis inſtantiis, qui octo partes continebit.

Prima tractabit de *Forma procedendi via ordinaria, in cauſis civilibus in prima inſtantia intentandis.*

Secunda de *Ordine, & forma procedendi contra reum contumacem in cauſis civilibus.*

Tertia de *Modo, & forma procedendi contra abſentem non contumacem, & de curatore ejus bonis dando.*

Quarta de *Forma, & modo procedendi via executiva in cauſis civilibus.*

Quinta de *Modo, & forma procedendi in cauſis criminalibus.*

Sexta de *Ordine, & forma procedendi in ſecunda inſtantia, tam in civilibus, quàm in criminalibus cauſis.*

Septima de *Ordine, & forma procedendi in ſecunda ſupplicatione, cum pœna millequingentarum duplarum.*

Octava, & ultima de *Modo, & forma procedendi à Judicibus Syndicatoribus in Syndicatu.* Quibus omnibus explicitis, iſte primus Tomus completus erit.

PRIMA PARS PRIMI TOMI, DE ORDINE, ET FORMA

PROCEDENDI VIA ORDINARIA IN CAUSIS CIVILIBUS.

SUMMA.

Judicium ſolemne, & ordinarium in duodecim tempora dividit Auctor.

JUdicium ſolemne, & ordinarium exiſtimo, in duodecim tempora dividendum fore, quamvis Bartolus in Tract. de Ordine Judicii, in decem tantum tempora dividat: quorum

Primum erit, de *Judice eligendo.* Secundum de *Præparatoriis ante citationem.* Tertium de *Ipſa citatione.* Quartum de *Libelli oblatione.* Quintum de *Exceptionibus dilatoriis opponendis.* Sextum de *Litis conteſtatione.* Septimum de *Proponendis exceptionibus peremptoriis.* Octavum de *Probationibus, & teſtibus producendis.* Nonum de *Diſputationibus, & allegationibus.* Decimum de *Concluſione in cauſa ad definitivam.* Undecimum de *Prolatione ſententiæ definitivæ.* Duodecimum, & ultimum de *Executione ſententiæ definitivæ.* De quibus omnibus agendum erit in ſequentibus.

EX PRIMO TEMPORE.

SUMMARIA.

1 MAgiſtratus, & alii plures juris miniſtri, quare creati fuerunt?

2 Judicantis munus proprium eſt, jus ſuum unicuique reddere.

3 Judices omnes ſunt, aut Ordinarii, aut Extraordinarii.

4 Judices Ordinarii, qui dicantur.

5 Ordinarii Judices, alii ſunt ſummi, alii inferiores, ſeu ſubalterni: & qui ſint ſummi, & qui inferiores, explicatur.

6 Vicarii Generales Epiſcoporum Ordinarii ſunt.

7 Vicarii Generales Epiſcoporum ex juris permiſsione juriſdictionem ordinariam exercent.

8 Tenentes locum Correctorum apud Hiſpanos juriſdictionem ordinariam exercent ex conſenſu Principis, licèt ab ipſis Correctoribus eligantur.

9 Officium locum Correctorum tenentium durat, mortuis Correctoribus, non ſic officium Vicarii Epiſcopi.

10 Judices Ordinarii, licèt in ſuis territoriis habeant univerſalem juriſdictionem meri, & mixti imperii: tamen apud Hiſpanos in aliquibus caſibus, nec in prima, nec in reliquis inſtantiis cognoſcunt.

11 Solus Papa, Rex, Lex, ſeu Populus, vel Univerſitas Judices Ordinarios creat.

12 Tota civilis poteſtas, & juriſdictio in Regnis Hiſpaniæ penes ipſum ſolum reſidet, & ab eo derivatur in Civitates, & reliqua Oppida Regni.

13 Nobilis, vel aliquis alius habens juriſdictionem in ſuis Oppidis, cenſetur habere ex privilegio Principis, vel ex præſcriptione.

14 Rex Hiſpiniarum quare tot ac tam diverſos Magiſtratus creaverit, expenditur.

15 Conſiliarii Supremi Regis, de quibus cauſis cognoſcunt, remiſsivè, & etiam à quibus arcentur.

16 Judices cauſarum criminalium in Curia creati, id eſt, Alcaldes de Corte, *de quibus cognoſcant, remiſsivè traditur.*

17 Auditores Cancellariarum Valliſoleti, & Granatæ quatuor modis de cauſis cognoſcunt, & qui ſint explicatur.

18 Auditores Cancellariarum de caſibus Curiæ in prima inſtantia cognoſcunt.

19 Non licèt quem vocari ad Curiam Principis pro lite examinanda.

20 Caſus Curiæ qui ſint, traditur remiſsivè.

21 Caſus Curiæ excedere debet ſummam decem millium marapetinorum, ut in prima inſtantia tractari poſsit coram Auditoribus.

22 Auditores Cancellariarum per viam appellationis de omnibus cauſis cognoſcunt, dummodo excedant quantitatem decem millium marapetinorum.

23 Auditores Cancellarium cognoſcunt de Cauſis Eccleſiaſticis per viam violentiæ ad eos delatis.

24 Proviſio Regia ordinaria, quæ ab Auditoribus in cauſis Eccleſiaſticis datur ante gravamen illatum, defenditur, etſi contra jus videatur.

25 Auditores Cancellariæ Valliſoleti non cognoſcunt de Cauſis Eccleſiaſticis jam deciſis ab Auditoribus Regni Galleciæ, etſi ad eos per appellationem deferantur.

26 Auditores Cancellariarum cognoſcunt, quando aliquis Exterus impetrat beneficium in iſtis Regnis, vel aliquis Naturalis impetrat beneficium juriſpatronatus laicorum, vel beneficia patrimonialia Diœceſis Palentinæ, Burgenſis, aut Calagurritanæ, ſeu Canonicatum Doctoralem, vel Magiſtralem, & Litteras Apoſtolicas examinant, & impetratibus interdicunt earum uſum.

27 Auditores Regii, abſque timore excommunicationis incurrendæ, examinant Litteras Apoſtolicas, & earum executionem ſuſpendunt, quando conceſſæ fuerunt contra leges hujus Regni.

28 Impetratio beneficiorum juriſpatronatus Regii, vel laicorum, patrimonialium quarundam Diœceſum hujus Regni probibetur per leges Regias.

29 Auditores Regii, præmiſſa prius ſupplicatione ad Papam, ſuſpendunt executionem Litterarum Apoſtolicarum, quam cum effectu debent mandare proſequi, alioquin non evadent excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini latam.

Ju-

30 Judices Criminum creati Cancellariis, de quibus cauſis cognoſcant, traditur remiſſivè.

31 Judices Nobilitatum, ideſt, Alcaldes de Hijos-Dalgo, de quibus cognoſcant, traditur remiſſivè.

32 Judices Audientiæ Regni Galleciæ Alcaldes Mayores appellantur, & in prima inſtantia cognoſcunt de omnibus cauſis illius loci, in quo reſidet cum quinque leucis in circuitu.

33 Auditores Galleciæ extra circuitum quinque leucarum in prima inſtantia, nec etiam partium ſubmiſſione cognoſcere poſſunt.

34 Leg. 27. tit. 1. lib. 3. Recop. limitatur quadam Nova Pragmatica Sanctione.

35 Judices Galleciæ cognoſcunt in prima inſtantia de omnibus caſibus Curiæ, in quibus nullus Vicinus illius Regni in prima inſtantia Pinciæ conveniri poterit, exceptis quibuſdam caſibus.

36 Auditores Galleciæ in illo Regno cauſas ad ſe delatas per appellationem decernunt, in quibus, ſi minoris ſummæ centum mille marapetinorum fuerint, ad eoſdem datur ſupplicatio, & non proceditur ultra; ſi verò exceſſerint centum mille marapetinos, ad Pincianam Cancellariam appellari poteſt.

37 Ab Auditoribus Galleciæ in criminalibus ad Cancellariam Valliſoleti appellari non poteſt, excepto, ſi in ſententia mortis pœna inferatur.

38 Auditores Galleciæ de ſententiis latis à Judicibus ſyndicatoribus per viam appellationis cognoſcunt, & ab eorum ſententiis ad Pincianos Judices non appellatur, ſed ad ipſos ſupplicatur, præter quàm ſi in civilibus cauſa centum mille marapetinos excedat, & in Criminalibus mortis pœna ſit impoſita.

39 Auditores Galleciæ de cauſis Eccleſiaſticis per viam violentiæ cognoſcunt.

40 Auditores Galleciæ cognoſcunt, quando quis petit, ſe tueri in poſſeſſione beneficii.

41 Eſt etiam Audientia Hiſpalenſis, in qua cognoſcitur de caſibus Curiæ Vicinorum illius Civitatis, & Territorii.

42 Auditores Hiſpalenſes cognoſcunt per appellationem de cauſis excedentibus decem millia marapetinorum, de minoribus vero cauſis ad Decuriones Civitatis datur appellatio.

43 Auditores Hiſpalenſes cognoſcunt per viam appellationis de cauſis pecuniariis Fraternitatis excedentibus ſex mille marapetinos.

44 In cauſis criminalibus Fraternitatis Territorii Hiſpalenſis ad Judices Majores illius Civitatis eſt appellandum.

45 Auditores Hiſpalenſes per appellationes cognoſcunt de ſententiis Judicum nomine Alarifes, Meſta, & aliorum illius Civitatis, & Territorii, de quibus Judices Majores cognoſcere ſolebant.

46 Judices Audientiæ Hiſpalenſis cognoſcunt de cauſis civilibus excedentibus trecenta millia marapetinorum, quæ ad eos per appellationem devolvuntur ab Auditoribus Canariæ, & de criminalibus, in quibus pœna mortis inflicta fuerit.

47 Auditores Hiſpalenſes cognoſcunt de cauſis Eccleſiaſticis illius Civitatis, & Territorii ſibi propter violentiam delatis.

48 Canariæ etiam alia Audientia eſt, qua cognoſcitur in prima inſtantia de caſibus Curiæ, & de cauſis Eccleſiaſticis per viam violentiæ ad ſe delatis, & per appellationem de cauſis civilibus non excedentibus trecenta millia marapetinorum.

49 Plures Judices, & Magiſtratus enarrantur.

50 Judices Extraordinarii qui dicantur.

51 Creandi Judices, & Magiſtratus ad minus decennii ſpatio operam dare debent Juri Canonico, aut Civili, & viginti ſex annorum eſſe, opus eſt.

52 Creandi Judices juriſperitia, & cauſarum experientia polleant.

53 Qui cauſarum experientia pollet, etſi minus juriſperitia imbutus, magiſtratui præfici poterit.

54 Qui non legitimè doctus, aut expertus ad officium judicandi animum appullerit, malè judicans, ſuam litem facit, & parti intereſſe ſolvere obligatur.

55 Judex, qui judicans, & difficilem legem ignorans, minus juſtè judicavit, parti ad intereſſe non tenetur.

56 Judex, qui in articulo difficili, & arduo defecit, vel ſaltim minus punitur, vel ei omnino parcitur.

57 Judex adhibens debitam, & neceſſariam diligentiam in judicando, licèt erret propter Juris ſubtilitatem, in nihilum tenetur.

58 Judex, qui ſui præceptoris doctrinam defendens erraverit, non tenetur ad aliquid.

59 Judex (licèt Magiſtri ſui defendere opinionem laudabile ſit) a communi recedere opinione non debet.

60 Judex propter imperitiam proferens ſententiam iniquam, ad damna, & expenſas tenetur parti læſæ.

61 Judex malè judicans ex dolo, vel malitia, corruptus precibus, vel pretio, in cauſis civilibus infamiam incurrit, & poteſtatem judicandi amittit, & ad tantundem damna, & expenſas, quas in litem juraverit pars læſa, tenetur.

62 Judex ex dolo, vel malitia in cauſis criminalibus, corruptus precibus, vel pretio malè judicans, eandem pœnam incurrit, quam innocenti impoſuit, & confiſcatis ſuis bonis, in exilium perpetuum mittitur.

63 Judex dolo, vel culpa iniquè judicans, in foro conſcientiæ tenetur parti læſæ ad totale intereſſe.

64 Plures perſonæ à miniſterio judicandi arcentur.

65 Actor Forum rei ſequi debet.

66 Forum pluribus modis quem ſortiri poſſe, & quibus, traditur.

67 Actori electio datur eligendi Judicem, quando reus plures Judices habuerit.

68 Intentans remedium leg. Diffamari, adire debet Judicem ipſius diffamati.

69 Propoſito remedio leg. Diffamari coram uno ex pluribus Judicibus diffamato competentibus, Actor petere poterit cauſam remitti ad alterum rei Judicem, quia tunc ejus electio eſt.

70 Actor debet animadvertere, an ex privilegio, vel conſuetudine reum in ſuum proprium Forum trahere poſſit, ut in Audientiis Scholaſtica, & Epiſcopali Salmantinis.

71 Actor debet advertere, an cauſa, quam agere cupit, ſit ex iis, quarum cognitio ad Judicem Eccleſiaſticum pertineat.

72 Actor conſideret, an caſus, ſuper quo reum convenire intendit, caſus Curiæ ſit, ut inde perpendat, coram quo Judice utilius ſit actionem intendere.

73 Actor reum coram incompetenti Judice conveniens, efficit, quòd proceſſus ſit nullus.

74 Exceptio nullitatis proceſſus, ratione incompetentiæ Judicis quacunque litis parte, & quocunque tempore opponi poteſt.

75 Intellectus leg. 2. tit. 17. lib. 4. Recop.

PRIMUM TEMPUS.

DE JUDICE ELIGENDO.

1. PArum prodeſſet jus in Republica conditum fuiſſe, niſi eſſent, qui jura unicuique redderent, (a) 2. ac ideò creati fuerunt *Magiſtratus*, *Judices*, & alii *Juris Miniſtri*, qui jus ſuum unicuique tribuerent: nam id proprium munus judicantis eſt. (b)

3. Qui quidem Judices in duplici differentia ſunt: alii enim ſunt *Ordinarii*, alii *Extraordinarii*. 4. Ordinarii dicuntur, *qui propriam juriſdictionem habent ſibi delatam à Lege, Principe, Conſuetudine, Univerſitate, aut Populo, ad univerſitatem cauſarum, vel ad aliquorum negotiorum cognitionem.* (c) 5. Qui Ordinarii: alii ſunt *Summi*, alii *Inferiores*, ſeu *Subalterni*: Summi dicuntur, *quibus plena poteſtas per ſe competit*, qualis eſt Pontificis, Imperatoris, & Regis: quoniam in ea nullum ſuperiorem recognoſcunt. (d) Inferiores, ſeu Subalterni dicuntur, *qui ſuam juriſdictionem à ſuis Superioribus, quibus immediate ſubſunt, receperunt*: & ii quandoque plenam, & univerſalem juriſdictionem obtinent, non per ſe, ſed ex Principis beneficio, aut juris ordinatione, ut ſunt *Cardinales*, *Archiepiſcopi*, *Epiſcopi*, & alii hujuſmodi: *Auditores* Supremorum Conſiliorum Regis, & aliarum Audientiarum Regiarum; licèt enim hos Auditores priores, & honorabiliores appellet dict. lex 1. tit. 4. Part. 3. tamen reſpectu Principis Inferiores ſunt. Quandoque tamen hi Inferiores non habent plenam juriſdictionem, ſed limitatam ad certas cauſas, ut ſunt Correctores, & alii Judices Ordinarii Locorum, & Judices Syndicatus, 6. & Vicarii Generales Epiſcoporum, qui Ordinarii ſunt; (e) 7. nam hujuſmodi Vicarii ex quadam *juris permiſſione* exercent juriſdictionem à Prælatis ſibi mandatam, & tacitè cenſetur permiſſum Epiſcopis, hos Vicarios conſtituere, atque eis juriſdictionem demandare, ut eorum locum teneant, viceſque gerant, (f) & hinc eſt, Laicum non poſſe conſtitui Vicarium Epiſcopi, (g) nec etiam Clericum Primæ Tonſuræ conjugatum; (h) ſufficiet tamen, ſi fuerit initiatus Prima Tonſura non conjugatus, quia cum ſit Clericus, (i) ſpiritualia tractare poterit. 8. Eademque ratione idem dicendum erit in Judicibus Sæcularibus, qui apud Hiſpanos à Correctoribus Civitatum delegantur, & eorum locum tenentes nuncupantur, habentque ordinariam juriſdictionem, & conſenſu Principis eam exercent, licèt à

(a) Leg. 2. §. *Poſt originem*, ff. de *Orig. jur.*

(b) Cap. *Forus*, de *Verb. ſignific.* & cap. 1. verſic. *Judex* 23. quæſt. 2.

(c) Secundùm Bart. Oroſium n. 4. & alios in leg. *More*, ff. de *Juriſdict. omn. Judic.* Decium in Rubric. Extra de *Offic. Delegat.* n. 2. Et Alciat. in Rubric. Extra de *Offic. Ordin.* n. 5. & probatur de *Jure Regio*, in leg. 1. tit. 4. part. 3.

(d) Ut in dict. leg. *More*, & in cap. *A Judicibus* 2. quæſt. 6.

(e) Secundùm gloſſ. in cap. 2. verb. *Officialem*, de *Offic. Vicar.* lib. 6. & gloſſ. in cap. *Perlectis* 25. diſtinct. verb. *Jurgia*, & gloſſ. in cap. *Romana*, verb. *Generaliter*, de *Appellationib.* lib. 6. Felin. in Rubric. de *Offic. Delegat.* n. 4. & Covar. in lib. 3. Variarum, cap. 20. n. 4. Quidquid aliter diſtinguat Alex. in Rubric. ff. de *Offic. ejus* à n. 15. & Alciat. ubi ſupr.

(f) Ex diſpoſitione text. in cap. *Licèt*, de *Offic. Vicar.* lib. 6. & in cap. *Cum Epiſcopus*, de *Offic. Ordinar.* lib. 6.

(g) Ut docet Panorm. n. 12 Communiter receptus ex Dec. n. 15. Ripa n. 56. & Mant. n. 33. in cap. 2. Extra de *Judic.* Covarr. cap. *Alma mater*, 1. part. §. 11. num. 3. de *Sentent. excomm.* in 6. Rebuf. in Praxi benefic. tit. de *Vicar. Epiſcop.* n. 36.

(h) Secundùm Panorm. Decium, Rebuf. & Covar. ubi ſupr.

(i) Juxta text. in cap. *Cum contingat*, de *Ætate*, & *qual.*

Correctoribus nominentur, & eligantur. (*j*) 9. Et Correctore mortuo, horum locum tenentium officium durat: licèt contrarium ſit in Vicariis Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum. (*k*) (* Qui Vicarii poterunt ad libitum revocari ab Epiſcopis, vel à Correctoribus, quamvis conventum ſit inter eos, quòd intra certum tempus non poſsint revocari, etiam cum juramento, (*l*) ſi tamen revocatio fiat ſine juſta cauſa valet, non tamen incidit revocans in perjurium, vel in aliam pœnam appoſitam in conventione. (*m*) 10. Qui omnes Ordinarii Inferiores, licèt in ſuo territorio habeant univerſalem juriſdictionem meri, & mixti imperii, (*n*) in aliquibus tamen caſibus in hiſce Regnis Caſtellæ neque in prima, neque in ſecunda inſtantia cognoſcunt, ut conſtat ex toto tit. 9. lib. 3. Recop.

11. Quos Judices Ordinarios Inferiores ſolus Papa, vel Rex, aut Lex, ſeu Populus, vel Univerſitas conſtituit. (*o*) 12. In hiſce tamen Hiſpaniarum Regnis tota Civilis Poteſtas, & Juriſdictio penes ipſum ſolum Regem conſiſtit, ab eoque in ſingulas totius Regni Civitates, Villas, Caſtra, & Oppida derivatur. (*p*) 13. Ex quibus conſtat, quòd Nobili habenti in hoc Regno juriſdictionem in ſuo Oppido, illa ſibi competit jure ſpecialis privilegii à Rege conceſsi, vel præſcriptionis. (*q*)

14. Quamobrem, ut Subditorum commodis, & expenſis Rex Hiſpaniarum conſuleret, & ne paſsim Subditi ipſum ſequi cogerentur, & ut commodius Reſpublica regeretur, plures, ac diverſos Magiſtratus creavit, apud quos unuſquiſque jus ſuum conſequi poſſe. 15. *In primis* enim creavit *Supremos Conſiliarios Regios*, qui in prima inſtantia cognoſcere poſſent de omnibus, de quibus ipſemet Rex cognoſcere poterat. (*r*) Qui etiam Supremi Regii Conſiliarii per viam appellationis cognoſcunt de caſibus connumeratis in l. 20. & 32. tit. 4. lib. 2. Recopil. qui *Senatores* dicuntur, & Senatui Romano adæquantur, lateri Regis continuè aſsiſtunt, parſque corporis myſtici regis reputantur, (*ſ*) & in iſto Conſilio Supremo ſunt ſexdecim Conſiliarii, & unus Præſes, & Fiſcalis unus. 16. Creavit inſuper in ſua Curia alios quatuor Judices cauſarum criminalium, quos vulgò *Alcaldes de Caſa, y Corte*, dicimus, & unum Fiſcalem, qui *Carceris Fiſcalis* dicitur, de quorum juriſdictione agitur in tit. 6. lib. 2. Recop.

Creavit prætereà alia Regia Prætoria, quæ *Audientiæ Regiæ*, vel *Cancellariæ* appellantur; quarum una reſidet Valliſoleti, & alia Granatæ, & in earum qualibet ſunt ſexdecim Auditores, & ſinguli Præſidentes, & duo Fiſcales, unus cauſarum civilium, & alter criminalium, 17. qui Regii Auditores quatuor modis juriſdictionem exercent. 18. *Primo* enim cognoſcunt in prima inſtantia de caſibus, quos vulgò *de Corte* dicimus: (*t*) 19. nam licèt receptiſsimum ſit, neminem poſſe ad Curiam Principis vocari pro lite examinanda, niſi per appellationem trahatur, (*u*) 20. ſunt tamen nonnulli, quibus licet ad Curiam Principis vocare eos, adverſus quos actiones habent. (*x*) 21. Qui caſus Curiæ excedere debent ſummam decem-

(*j*) Secundùm Paul. Caſtrenſ. in Rubric. ff. de *Offic. Aſſeſſ.* Et Curt. Junior. in Rubric. ff. de *Offic. ejus.* Quidquid oppoſitum teneat ibi Alexand. & eandem opinionem tenent Covarr. ubi ſupr. Et Avend. de Exequendis mandatis Regum, 1. part. cap. 3. n. 2.

(*k*) Ex eodem Avend. ubi ſupr. n. 3. Quo in loco plura alia cumulat de iſtis locum correctorum tenentibus, quem omnino videas.

(*l*) Ut docet Ant. Butr. cap pen. de *Offic. Vicar.* Alex. in conſil. 18. n. 7. & 8. vol. 2. & Boer. deciſ. 347. n. 1.

(*m*) Secundùm Alex. ubi ſupr. Vide Avend. de Exeq. mand. Princ. 1. part. cap. 3. n. 2. & Avil. in cap. *Correct.* cap. 1. gloſſ. verb. *Fiel*, n. 42.

(*n*) Ut in leg. *Pupillus*, verſ. *Territorium*, ff. de *Verb. ſign.*

(*o*) Juxta text. in Extrav. *Eccleſiæ Romanæ*, & ibi gloſſ. verb. *Jus*, de *Majorit. & obedient.* Joan. XXII. & facit leg. *Bene à Zenone*, Cod. de *Quadrien. præſcript.* & leg. 1. verſic. *Cum Urbem*, ff. de *Offic. Præfect. Urbis*, & leg. *More*, & leg. *Et quia.* Et ibi Bart. & Doct. ff. de *Juriſdict. omn. Judic.* Tradunt Imol. n. 7. & Barb. n. 30. in cap. *Cum ab Eccleſiarum*, de *Offic. Ordin.*

(*p*) Ut probatur in leg. 2. & 5. cum tribus ſequentib. tit. 1. part. 2. & in leg. 18. tit. 4. & in leg. 18. cum duabus ſequentib. tit. 23. Part. 3. & in leg. 2. tit. 1. lib. 4. Recop. & in leg. 1. eod. tit. & lib. Et ita reſolvit Aviles in cap. *Prætorum*, cap. 1. in gloſſ. 1. Avend. de Exequendis mandatis 1. part. cap. 1. Covarr. in Practicis Quæſtionibus, cap. 1. n. 9. Et Didac. Perez in leg. 4. tit. 1. lib. 2. Ordinam. & in leg. 1. tit. 15. lib. 2. Ordin.

(*q*) Ut in dictis legibus Regni probatur, & tradit Covarruv. in Regul. *Poſſeſſor.* 2. part. §. 3. de *Regul. jur.* lib. 6.

(*r*) Juxta text. in leg. 1. 11. 22. 35. 36. 37. 44. 45. 47. & 48. tit. 4. lib. 2. Recop. & in leg. 4. tit. 6. lib. 1. Recopil. & in leg. fin. tit. 1. lib. 2. Recop. & in leg. 11. tit. 15. lib. 2. Recop. & in leg. 9. & 10. tit. 7. lib. 5. Recop. & in leg. 13. tit. 11. lib. 6. Recop. Exceptis quibuſdam caſibus, quos ſibi Rex reſervavit, de quibus in leg. 10. & 12. & 22. tit. 4. lib. 2. Recop. & in leg. 21. & 24. eod. tit. & lib. & in leg. 22. tit. 5. lib. 2. Recop. & in leg. 10. tit. 9. lib. 3. Recop.

(*ſ*) Ut in leg. *Jux Senatorum*, Cod. de *Dignit.* lib. 12. leg. *Quiſquis*, Cod. *Ad leg. Juliam Majeſt.* leg. 1. tit. 2. Part. 7.

(*t*) Ut in leg. 11. & 21. tit. 5. lib. 2. Recop.

(*u*) Leg. *Nemo*, Cod. de *Juriſdict. omn. Judic.* text. in Auth. *Ut differentes Judices*, §. 1. collat. 7. & in leg. 8. & 9. tit. 3. lib. 4. Recop. & in leg. 21. tit. 5. lib. 2. Recop.

(*x*) De quibus agitur in leg. 5. tit. 3. Part. 3. & in leg. 8. 9. & 11. tit. 3. lib. 4. Recop. Et tradit eleganter more ſuo ſolito Covarr. in Practicis Quæſtionibus, cap. 6. & 7.

millium marapetinorum, alioquin de eis prædicti Auditores cognoſcere nequeunt. (*y*) Et modus, & forma procedendi ab iſtis Auditoribus in caſibus Curiæ in prima inſtantia præſcribitur à Monterroſo. (*z*) 22. *Secundo* modo Auditores Cancellariarum cognoſcunt de omnibus cauſis per viam appellationis ad ſe devolutis: (*a*) dummodo cauſæ excedant ſummam decemmillium marapetinorum. (*b*) Et modus, & forma procedendi in hoc caſu à prædictis Auditoribus præſcribitur à nobis infrà in 6. Part. hujus primi Tomi. 23. *Tertio* modo prædicti Auditores cognoſcunt de vi, & violentia, quæ appellantibus fieri ſolet per Judices Eccleſiaſticos, non deferentes appellationibus legitimis. (*c*) (* Quinimo, hujuſmodi Auditores cognoſcere poſſunt de violentiis, & injuriis illatis à Clericis, & perſonis Eccleſiaſticis contra Clericos, vel Laicos, etiam in cauſis beneficialibus; (*d*) nam Regum officium eſt, vi oppreſſos eripere. (*e*) 24. Circa quod animadvertendum erit, quod Proviſio Regia, quæ vulgo dicitur *La Ordinaria*, ab iſtis Auditoribus ante gravamen impetranti illatum, conceditur aſſerenti gravamen jam fuiſſe ſibi illatum, cum tamen tempore impetrationis nondum ſententia ab Eccleſiaſtico lata fuiſſet: quod non videtur rationi conſonum, & eſt contra text. in Clement. *Appellanti*, de *Appellat.* & nihilominus prædicta praxis ſubſtinetur, ex eo quod hæc Reſcripta Regia conceduntur in duplicem eventum: unus eſt, quòd ſi gravamen reperiatur illatum, tollatur: alter eſt, quòd ſi illatum nondum ſit, proceſſus ad Auditores remittatur, & uterque eventus juſtus cenſetur: ob idque non injuſtè prædicta Proviſio ad utrumque effectum conceditur ante impletam conditionem. (*f*) 25. Non tamen Auditores Cancellariæ Valliſoleti cognoſcere poterunt de cauſis Eccleſiaſticis jam deciſis per Auditores Regni Galleciæ, quando ad eos per viam violentiæ fuerunt delatæ, & poſtmodum ab eiſdem pars læſa appellavit ad prædictos Auditores Cancellariæ: nam in hoc caſu non eſt locus appellationi. (*g*) Et qualiter proceſſus fulminari debeat, quando iſto tertio modo Auditores Cancellariæ cognoſcunt de cauſis Eccleſiaſticis per viam violentiæ, præſcribitur à Monterroſo. (*h*) 26. *Quarto* modo prædicti Auditores cognoſcunt, quando aliquis Exterus impetrat aliquod beneficium Eccleſiaſticum in his Regnis, vel quando Naturalis impetrat beneficium Juriſpatronatus laicorum, vel Juriſpatronatus Regis, vel beneficia patrimonialia, quæ prævio examine Incolis, & Originariis in Diœceſi Palentina, Burgenſi, ac Calagurritana conferenda ſunt: vel quando quis impetrat Canonicatum Magiſtralem, aut Doctoralem alicujus Eccleſiæ Cathedralis, aut Collegiatæ: nam in his caſibus de prædictis cauſis Auditores cognoſcunt, (*i*) 27. & tunc examinant Litteras Apoſtolicas, & ſuſpendunt earum executionem, interdicentes impetrantibus earum uſum ſub graviſsimis pœnis, & comminationibus, quod facere poſſe abſque aliquo timore excommunicationis, reſolvit Palacios Rubios. (*j*) 28. Nam in hiſce Regnis cautum eſt, nullum auſum fore impetrare Litteras Apoſtolicas à Papa ad dignitates, vel beneficia vacantia, quæ ſunt Regii Juriſpatronatus ſub graviſsimis pœnis, (*k*) nec beneficia patrimonialia Diœceſis Palentinæ, & Calagurritanæ, (*l*) prohibitumque eſſe, quem poſſe impetrare Litteras Apoſtolicas in derogationem Juriſpatronatus laicorum, & in præjudicium Canonicatuum Magiſtralium. (*m*) 29. In quibus caſibus, præmiſſa prius ſupplicatione ad Summum Pontificem, uſus, & executio Litterarum Apoſtolicarum ſuſpenditur per prædictos Regios Auditores. Et praxis quæ in hoc ſervatur, præſcribitur à leg. 14. & 24. & 25. tit. 3. lib. 1. Recopil. & nos infrà ſuo loco dicemus.

(*y*) Ut probat text. in leg. 11. tit. 3. lib. 4. Recop.

(*z*) In ſua Practica in tract. 5. fol. 68. cum ſequentib.

(*a*) Ut probat text. in leg. 21. & toto tit. 5. lib. 2. Recop.

(*b*) Juxta text. in leg. 7. tit. 18. lib. 4. Recop.

(*c*) Ut probatur in leg. 36. cum tribus ſequentib. tit. 5. lib. 2. Recop.

(*d*) Juxta text. in leg. 2. tit. 6. lib. 1. Recop.

(*e*) Cap. *Regum* 23. quæſt. 5. & in cap. *Filiis* 16. quæſt. 7. qui text. in hac ſpecie accipi debet, quamvis Panormitanus in cap. *Qualiter*, de *Judiciis*, aliter intelligat: & facit text. in cap. *Principes*, & in cap. *Adminiſtratores* 23. quæſt. 5. & in leg. 13. tit. 13. Part. 2. & ibi notat Greg. Lupus, & eſt text. in leg. 2. tit. 6. lib. 1. Recop. & in terminis ita reſolvunt Navar. in cap. *Cum contingat*, de *Reſcript.* num. 1. pag. 147. Covar. in Practicis Quæſt. cap. 35. n. 3. & Didac. Perez in leg. 5. tit. 1. lib. 2. Ordinament.

(* Deciſ. Pedem. 30. n. 2.

(*f*) Argum. text. in leg. *Cum hæres*, §. *Pro parte*, ff. de *Acquir. hæreditat.*

(*g*) Ut diſponit. leg. 35. tit. 5. lib. 2. Recop.

(*h*) In ſua Practica, tract. 5. fol. 92. in verſ. *Sigueſe el tercero proceſſo.*

(*i*) Juxta text. in leg. 34. tit. 5. lib. 2. Recop.

(*j*) In Tract. de Beneficiis vacantibus in Curia, §. 7. & 12. & Covarr. in Practicis Quæſt. cap. 36. n. 3. & Didac. Perez in leg. 2. tit. 6. lib. 1. Ordinam. in gloſſ. 1. verſic. *In Hiſpaniæ.* Idemque apud Gallos obſervari teſtatur Rebuf. in Praxi beneficiorum, 3. part. ſignaturæ, verſic. *Nec non Jure Patronatus*, n. 12. & 35. & Molin. in Regul. Cancellariæ, de Infirmis reſignantibus, n. 32.

(*k*) Ut conſtat ex leg. 5. tit. 6. lib. 1. Recop.

(*l*) Ut in leg. 21. & 22. tit. 3. lib. 1. Recop.

(*m*) Ut conſtat ex leg. 24. & 25. tit. 3. lib. 1. Recop.

Interim tamen advertendum erit, quod ſupplicatio, quæ ad Summum Pontificem in prædictis caſibus interponitur, cum effectu legitime proſequenda eſt coram Papa, & ejus Sede Apoſtolica; alioquin impedientes executionem Litterarum Apoſtolicarum non evadent excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini. (n) 30. Rurſus idem Rex creavit in qualibet Cancellaria alios Judices criminum, qui vulgo dicuntur *Alcaldes del Crimen*, de quorum juriſdictione, & de quibus cauſis cognoſcere poſſint, agitur in toto tit.7. lib.2. Recopil. 31. & in eadem Cancellaria alios Judices, qui populariter *Alcaldes de Hijoſdalgo* dicuntur, creavit, qui de cauſis Nobilitatis cognoſcunt, & de eorum juriſdictione agitur in toto tit. 11. lib. 2. Recop.

32. Deinde creavit in Regno Galleciæ aliam Audientiam, cujus Judices *Alcaldes Mayores* dicuntur, & cognoſcunt in prima inſtantia de omnibus cauſis illius loci, ubi Audientia reſidet, cum quinque leucis in circuitu: 33. neque extra circuitum quinque leucarum in prima inſtantia cognoſcere poſſunt, quamvis partes ex contractu ſe ſubmiſerint eorum juriſdictioni juxta text. in leg. 17. tit.1. lib.3. Recopil. 34. quæ lex intelligi, & limitari *hodie* debet per quandam Pragmaticam Sanctionem, cujus meminimus in 4. Part. hujus primi Tomi, cap.2. num. 11. 35. Cognoſcunt etiam dicti Judices in prima inſtantia de omnibus caſibus Curiæ; (o) neque in prædictis caſibus Curiæ aliquis Vicinus illius Regni conveniri poterit in prima inſtantia coram Auditoribus Cancellariæ Valliſoleti, niſi in certis caſibus exceptis in leg.4. tit.1. lib. 3. Recopil. 36. Cognoſcunt præterea per viam appellationis de omnibus cauſis civilibus, & criminalibus illius Regni; ab eorum tamen ſententiis in gradu appellationis latis appellari poterit ad Auditores Cancellariæ Valliſoleti, ſi cauſæ civiles exceſſerint ſummam centummille marapetinorum: ſi verò fuerint minoris ſummæ, non erit locus prædictæ appellationi, ſed ad ipſoſmet ſupplicari poterit, & à ſententia, quam in gradu ſupplicationis tulerint, amplius neque appellari, nec ſupplicari poterit. (p) 37. In cauſis tamen criminalibus ab eis ad Cancellariam Valliſoleti appellari non poteſt, præterquam ſi in ſententia pœna mortis naturalis appoſita fuerit. (q) 38. Cognoſcunt etiam per viam appellationis de ſententiis in Regno latis à Judicibus Syndicatoribus in cauſis Syndicatus, & à ſententiis eorum in gradu appellationis latis appellandum non eſt ad Cancellariam Valliſoleti, ſed ad ipſoſmet erit ſupplicandum, præterquàm ſi condemnatio in cauſis civilibus exceſſerit ſummam centummille marapetinorum, & in criminalibus appoſita fuerit pœna mortis naturalis. (r) 39. Similiter cognoſcunt de cauſis Eccleſiaſticis per viam violentiæ, ſicuti Auditores Cancellariarum. (ſ) 40. Cognoſcunt etiam de cauſis beneficialibus, quando quis petit ſe defendi, & tueri in poſſeſſione beneficii. (t)

41. Creavit etiam idem Rex aliam Audientiam Hiſpali, quæ dicitur *Audiencia de los Grados de Sevilla, Regente, Jueces, y Alcaldes de Quadra*: & de quibus cauſis cognoſcere poſſint ejus Auditores, & de eorum juriſdictione agitur in toto tit.2. lib. 3. Recopil. Qui Judices in prima inſtantia ſimiliter cognoſcunt de caſibus Curiæ Vicinorum *de los Lugares de Señorio, y Abadengo, que caen en el ſuelo de Sevilla*: (u) 42. & per viam appellationis cognoſcunt de cauſis civilibus, de quibus in prima inſtantia cognoverant Judices Ordinarii illius Civitatis, & ſui Territorii, (x) dummodo cauſæ civiles excedant ſummam decemmillium marapetinorum, alioquin ſi minoris ſummæ fuerint apud Decuriones illius Civitatis erunt tractandæ. (y) 43. Similiter per viam appellationis cognoſcunt de cauſis pecuniariis Fraternitatis excedentibus ſummam ſex millium marapetinorum, (z) 44. & in cauſis criminalibus Fraternitatis appellandum erit ad Judices Majores illius Civitatis, qui dicuntur *Alcaldes Mayores*; (a) in cauſis verò civilibus Fraternitatis, quæ fuerint minoris quantitatis ſexmillium marapetinorum, appellandum erit ad eos, quos determinat lex 49. & 50. tit. 13. lib. 8. Recop. 45. Pari modo per viam appellationis cognoſcunt prædicti Auditores *de las Sentencias de los Jueces Alarifes, y de Meſta, y otros Jueces de la dicha Ciudad, y ſu tierra, las quales ſolian ir à los Alcaldes Mayores de la dicha Ciudad.* (b) 46. Cognoſcunt etiam per viam appellationis de ſen-

(n) Ut conſtat in Motu proprio Gregorii XIII. Summi Pontif. de literis Proceſſus fulminati die Cœnæ Domini, anno 1575.
(o) Ut probatur in leg. 5. tit. 1. lib. 3. Recop.
(p) Ita determinat. leg. 1. tit. 1. lib. 3. Recop.
(q) Juxta text. in leg. 9. tit. 1. lib. 3. Recopilat.
(r) Ita probatur in leg. 15. tit. 1. lib. 3. Recop.
(ſ) Ut probat leg. 35. tit. 5. lib. 2. Recop.
(t) Juxta text. in leg. 10. tit. 1. lib. 3. Recop. & in toto illo tit. latè agitur de eorum juriſdictione.
(u) Ut in leg. 43. cap. 10. tit. 2. lib. 3. Recop.
(x) Leg. 1. tit. 2. lib. 3. Recop.
(y) Leg. 3. ejuſdem tit. & libri.
(z) Leg. 4. ejuſdem tit. & libri.
(a) Ut in dict. leg. 4. dicitur.
(b) Ut probat leg. 5. tit. 2. lib. 3. Recop.

ſententiis latis ab Auditoribus Audientiæ Canariæ, quando cauſæ civiles exceſſerint ſummam trecentorum millium marapetinorum, & in criminalibus fuerit inflicta pœna mortis naturalis. (c) 47. Præterea cognoſcunt de cauſis Eccleſiaſticis per viam violentiæ ad eos delatis à Judicibus Eccleſiaſticis illius Civitatis, & ſui Territorii; non verò ab aliis Judicibus Eccleſiaſticis reſidentibus extra Civitatem Hiſpalenſem, & ejus juriſdictionem. (d)

48. Creavit etiam idem Rex aliam Audientiam Canariæ, & in illis ſeptem Inſulis adjacentibus, cujus Auditores in prima inſtantia cognoſcunt de caſibus Curiæ, & de cauſis Eccleſiaſticis per viam violentiæ ad ipſos delatis: & per viam appellationis cognoſcunt de cauſis civilibus non excedentibus ſummam trecentorum millium marapetinorum, à quorum ſententiis in gradu appellationis latis, non poterit ad Audientiam Hiſpalenſem appellari, ſed ad ipſoſmet erit ſupplicandum: neque in cauſis criminalibus, ubi pœna mortis naturalis inflicta non fuerit, ab eis appellandum erit. (e)

49. Creavit idem Rex alios Judices, qui dicuntur *Alcaldes Mayores de los Adelantamientos*, de quibus in tit.4. lib.3. Recopil. & alios, qui dicuntur *Alcaldes de Sacas*, de quibus in tit.11. lib.3. Recopil. & alios, qui nuncupantur *Alcaldes Entregadores de las Cañadas, y Meſtas*, de quibus in tit.14. lib. 3. Recopil. & alios, qui dicuntur *Alcaldes de las Caſas de la Moneda*, de quibus in leg. 1. & 2. cap.2. & 3. in leg. 3. tit. 20. lib. 5. Recop. & alios, qui appellantur *Alcaldes de las Atarazanas*, de quibus in leg. 3. tit. 24. lib. 9. Recopil. Sunt, & alii Judices, qui nuncupantur *Alcaldes de la Hermandad*, de quibus in tit.13. lib.8. Recop. Sunt præterea alii qui dicuntur *Aſſiſtentes, Correctores, Judices Syndicatores, Ordinarii, & Delegati*, de quorum juriſdictione agitur in tit. 5. cum tribus ſequentibus lib. 3. Recopil. Sunt denique alii plures Magiſtratus, quos recenſere longum eſſet.

50. Extraordinarii Judices dicuntur, *Delegati, Arbitri juris, Executores*, & qui ex ſacra juſſione, & forma ſunt dati, (f) qui Judices propriam juriſdictionem non exercent, ſed ſibi commiſſam ab habente poteſtatem, ideoque *Extraordinarii* dicuntur.

51. In quibus omnibus Magiſtratibus, Judices, tam Ordinarii, quam Extraordinarii creandi præfulgere debent illis qualitatibus congeſtis à leg. 3. tit. 4. Part. 3. & leg.18. tit. 9. Part.2. debent eſſe Litterari; ita ut ad minus per ſpatium decem annorum operam dederint Juri Canonico, aut Civili, ſintque ætatis XXVI. annorum juxta text. in leg. 2. tit. 9. lib. 3. Recop. (per quam declaratur lex 5. tit. 4. Part.3. & lex 3. tit.9. lib.3. Recop. quæ requirebant ætatem viginti annorum tantum: nec leges illas obtinere *hodie* in Nobilibus illiteratis Prætoribus deſignandis, arbitror, cum illi propter cauſarum experientiam ad Magiſtratus eligantur, quæ ex longo tempore acquiritur, ac proinde major ætas in illis, quàm in viris litteratis deſideratur, etſi Gregorius Lupus in dict. leg. 5. contendat, legem illam antiquatam non eſſe per dict. leg.2. tit. 9. lib. 3. Recopil. reſpectu Nobilium illiteratorum) 52. & quod ſpecialiter relegerint leges hujus Regni. (g) Et quod habeant juriſperitiam, & cauſarum experientiam: in quibuſcunque enim Magiſtratibus gerendis, experientia ſummè eſt neceſſaria. (h) 53. Imò Judex, qui non ſit nimis juriſperitus Magiſtratui præfici poterit, dummodo cauſarum experientiam habeat; (i) 54. alioquin, qui non ita doctus, aut expertus fuerit, officium judicandi ei mandari non debet, (j) niſi ſecum Aſſeſſores Juriſperitos adhibeat, ſi fuerit Judex Major, vel niſi conſilium à Juriſperitis expoſcat, ſi fuerit Judex Pedaneus, (k) ſi aliter munus judicandi aliquis legum, & juris imperitus, vel inexpertus ſuſceperit, litem ſuam faciet, ſi per imperitiam male judicaverit, & parti ad interreſ-

(c) Ut probatur in leg. 42. tit. 2. lib. 3. Recop. junctis legibus 2. & 3. tit. 3. lib. 3. Recop.
(d) Ut probatur in leg. 7. tit. 2. lib. 3. Recop. & in toto illo tit. latè agitur de eorum juriſdictione, ubi in leg. 43. præſcribitur eis novus ordo procedendi in cauſis coram eiſdem agitandis.
(e) Ut probatur in leg. 2. 3. 4. & 14. cum aliis tit. 3. lib. 3. Recop. quo in loco agitur de juriſdictione illius Audientiæ.
(f) De quibus latè agit Alciat. in Rubric. Extra de *Offic. Ordin.* à n. 6.
(g) Juxta text. in leg. 4. tit. 1. lib. 2. Recop.
(h) Ut in leg. 1. §. *Sed cum ſit neceſſarium*, de *Juſtin. Cod. confirm.* & in Auth. de *Judicib.* in princ. verſic. *Non enim*, collat. 6. & in leg. 3. tit. 4. Part. 3. ibi: *E que hayan ſabiduria, para judgar los Pleytos derechamente por ſu ſaber, ò por uſo de luengo tiempo.*
(i) Ut probat text. in leg. *Certi juris*, Cod. de *Judic.* & in leg. *Expertes*, Cod. de *Decurion.* lib. 10. & firmat gloſſ. in cap. *Suſcitatus*, Extra de *Reſcript.* Bernard. Diaz in Tract. de Doctoribus, quæſt. 12. vol. 6. Diverſorum Doctorum & Matienz. in Dialogo Relatoris, 3. part. capit. 9. n. 5.
(j) Ex fundamentis pro hac parte adductis à Franciſc. Hotom. in lib. Quæſtionum Illuſt. quæſt. 26.
(k) Ut Hotom. ubi ſupr. reſolvit.

reſſe tenebitur, (*l*) 56. niſi circa legem difficilem lapſus fuerit, quia tunc à condemnatione intereſſe excuſabitur, (*m*) 56. & quando articulus eſſet valde difficilis, & arduus, tunc Judici parcitur, vel ſaltem minus punitur. (*n*) 57. Quinimò, ſi Judex adhibuerit debitam diligentiam, & per ſe proceſſum examinaverit, nil de neceſſariis omittendo, & poſtmodum aliud de juris ſubtilitate apparuerit, ad aliquid non tenebitur, (*o*) 58. aut ſi defendens doctrinam ſui Præceptoris erraverit, exemplo Caſii Juriſconſulti, quem refert Julianus. (*p*) 59. Nos tamen, etſi laudabile judicemus diſcipulum defendere opinionem ſui Magiſtri, tamen ob id cenſemus, non eſſe recendendum à communi Doctorum, quandoquidem hoc longe melius, & tutius ſit, (*q*) nam minimè ſunt mutanda, quæ à Majoribus noſtris tradita ſunt. (*r*) 60. Inſuper, ſi propter imperitiam protulerit ſententiam nullam, ad damna, & expenſas tenebitur. (*ſ*) 61. Cæterùm ſi propter malitiam, vel dolum, precibus, vel pretio corruptus malè judicaverit, tenebitur ex maleficio: & in cauſis civilibus ultra infamiam, quàm incurrit, amittit poteſtatem judicandi, & parti læſæ in tantundem, & ad omnia damna, & expenſas, quas prætextu injuſtitiæ pars læſa in judicio juraverit, tenetur. (*t*) In criminalibus cauſis eandem pœnam, quam innocenti impoſuerit, ſubſtinebit, & confiſcatis ſuis bonis, in exilium perpetuum mittetur, (*u*) 63. & in foro conſcientiæ Judex dolo, vel culpa male judicans, tenetur parti læſæ ad totale intereſſe. (*x*)

64. Adverte tamen, officium judicandi pluribus prohibitum eſſe, quorum mentio fit in leg. *Cum Prætor*, §. fin. & in leg. *Cum furioſus*, & in leg. *Cæcus*, & in leg. *Si longius*, ff. de *Judic.* quibus juribus convenit de *Jure Regio*, leg. 4. tit. 4. Part. 3. (*y*) & text. in leg. 7. & 8. tit. 9. lib. 3. Recop. (*z*) 65. Ex ſuperioribus apparet, plures eſſe Judices, atque Magiſtratus diverſos: unde cum actor ſequi debeat forum rei, (*a*) 66. (quem forum pluribus modis unuſquiſque ſortiri poteſt, vel *ratione rei ſitæ*, quæ petitur, (*b*) vel *ratione originis*, vel *ratione domicilii*, vel *ratione beneficii*, (*c*) vel *ratione contractus*, (*d*) vel etiam *ratione delicti*) (*e*) opportebit Actori Judicem competentem ipſius rei eligere, coram quo ipſum reum conveniat: 67. qui reus, ſi *jure communi*, vel *ſpeciali* diverſos Judices habuerit, tunc Actor ad actionem intentandam eligere poterit, quem maluerit. (*f*) 68. Quo fit quòd intentans remedium, leg. *Diffamari*, Cod. de *Ingen. & manum.* adire debeat Judicem ipſius diffamati. (*g*) 69. Tamen ſi plures Judices diffamato competant de *jure communi*, & coram Judice ab eo electo prædictum remedium proponat, Actor petere poterit cauſam remitti

(*l*) Ut probat text. in princ. de *Obligat. quæ ex quaſi delict.* & in leg. *Si Judex*, ff. de *Variis, & extraordin. cog.* quibus convenit lex 24. tit. 22. Part. 3.

(*m*) Ut firmat gloſſ. in princ. Inſtit. de *Obligat. quæ ex quaſi delict.* verb. *Videbitur.* Recepta à Bart. in leg. 2. n. 4. Cod. de *Pœna Jud. qui malè judic.* & Jaſſ. in leg. *Gallus*, in princ. ff. de *Liber. & poſth.*

(*n*) Secundùm Bald. leg. *Mancipia*, Cod. de *Serv. fugit.*

(*o*) Secundùm Andr. de Iſernia in cap. unic. de Controverſ. inter dom. & empt. col. penult. quem ſequitur Gregor. Lupus in dict. leg. 24. verb. *Daño.*

(*p*) In leg. *Qualem*, §. *Unde*, ff. de *Arbitr.* Panorm. cap. 1. de *Poſtul. Præl.* n. 25. & Avil. in cap. *Prætor.* cap. 1. verb. *Y fiel*, & cap. 20. & 22.

(*q*) Argum. text. leg. unic. ibi: *Crebrior .... opinio eſt*, ff. de *Offic. Quæſt.* & in princ. Inſtit. de *Hæred. inſtit.* & cap. *Novimus*, de *Verb. ſignific.*

(*r*) Leg. *Minimè*, ff. de *Legib.* Bart. leg. 2. n. 5. Cod. de *Pœn. Judic.* Silva Nupt. in princ. lib. 5. fol. mihi 117. & Avil. ubi ſupr. in dict. cap. 1. n. 15.

(*ſ*) Secundùm Bartol. in quæſt. 9. incip. Judex, & Avil. dict. cap. 1. §. *A las Partes*, n. 15. Et Bernard. Diaz in regul. 363. verſic. 2. *Declara.*

(*t*) Per text. in leg. fin. Cod. de *Pœn. Jud. qui malè jud.* leg. *Si filius famil.* §. *Si Judex*, ff. de *Judic.* & in Auth. *Novo jure*, Cod. de *Pœn. Jud.* & in leg. 52. tit. 14. Part. 5. & leg. 24. tit. 22. Part. 3.

(*u*) Juxta text. in leg. 25. tit. 22. Part. 3. & in leg. 5. tit. 9. lib. 3. Recop. Tradit Avil. ubi ſupr. cap. 1. verb. *Fiel*, n. 10. & Avend. in tract. de Mandat. Regis exequend. cap. 2. n. 2. verſ. *Siquidem*, & Matienz. in Dialog. 3. part. cap. 33. n. 6.

(*x*) Ut probat text. in cap. *Si quis dixerit*, & in cap. *Qui rectè*, & in cap. *Licèt* 11. quæſt. 3. juncto text. in cap. fin. de *Injur.* Et firmat Cajetan. in Summa, verb. *Judicis peccata.* Auguſtin. Beroius in Rubric. Extra de *Appellat.* numer. 91. Soto lib. 3. de Juſtit. & Jur. quæſt. 4. art. 2. Navar. in Manual. cap. 25. n. 12. & Covarruv. in Reg. *Peccatum*, 2. part. §. 3. n. 1. de Regul. Jur. in 6.

(*y*) Ubi Greg. Lup.

(*z*) Et tradit Didac. Perez in leg. 2. & 3. tit. 15. lib. 2. Ordinam.

(*a*) Ut probat text. in leg. *Juris ordinem*, Cod. de *Juriſdict. omn. Judic.* & in cap. *Cum ſit generale*, de *For. comp.* in leg. 32. tit. 2. Part. 3. & in leg. 8. & 9. tit. 3. lib. 4. Recop.

(*b*) Ut in cap. *Sanè*, de *For. comp.*

(*c*) Ut in cap. fin. de *For. comp.*

(*d*) Ut in cap. *Dilecti*, de *For. comp.*

(*e*) Ut in cap. *Cum ſit generale*, eod. tit. Et latè docet gloſſ. in leg. *Hæres abſens*, §. *Perinde*, verb. *Debebit*, ff. de *Judic.* Et explicat Petrus Raccha in Cerdiſtologia rerum civilium, cap. 23.

(*f*) Ut probat text. & ibi Doctores in leg. ult. Cod. de *Juriſdict. omn. Jud.* & text. in leg. *Cum Clericis.* Ubi Bald. in n. 1. Cod. de *Epiſcop. & Cleric.* gloſſ. & Doct. in leg. ult. Cod. *Ubi in rem action.* gloſſ. in cap. *Cum dilecti*, de *Foro compet.* Roman. in conſil. 412. Matth. de Afflict. in Deciſ. Neapolit. deciſ. 257. & in Conſtit. lib. 1. rubr. 37. n. 18.

(*g*) Ut cum pluribus reſolvit Covarruv. lib. 1. Variar. cap. 18. n. 4. & 5.

ti ad alterum Judicem rei: nam tunc electio actori datur. (*b*)

70. Conſiderabit etiam Actor, an ex aliquo *privilegio* ad ſuum proprium forum trahere reum poſſit, ut in Audientia Scholaſtica Salmantina, & in aliis hujuſmodi: vel, an hoc jus ſibi competat ex *conſuetudine*, ut in Audientia Epiſcopali Salmantina, & in ſimilibus, ubi Clerici ex conſuetudine præſcripta, Laicos conveniunt, quod fieri poteſt. (*i*) 71. Præterea, advertat Actor, an caſus ſit ex iis, quorum cognitio ad Judicem Eccleſiaſticum ſpectet, quorum meminimus in prooemio 2. Tomi hujus Operis, in 1. præludio, de quibus Judex Eccleſiaſticus cognoſcit: nam tunc eundem Eccleſiaſticum adire debebit. 72. Advertet inſuper Actor, an caſus, ſuper quo reum convenire debet, ſit Curiæ, nec ne: & an utilius ſit, reum coram Judice Ordinario Inferiori convenire, vel coram Auditoribus Regalibus, de quibus caſibus Curiæ, quos vulgo *Caſos de Corte* dicimus, fit mentio in leg. 5. tit. 3. Part. 3. & in leg. 21. tit. 5. lib. 2. Recop. & in leg. 8. cum tribus ſequent. tit. 3. lib. 4. Recopil. & in leg. 11. tit. 5. lib. 2. Recopil. & apud Covarruviam. (*j*)

73. Denique Actor convenire debet Reum coram ſuo Judice competenti, alioquin ſi ad incompetentem trahat, proceſſus nullus erit. (*k*) 74. Quæ exceptio nullitatis ex defectu Judicis competentis, quocunque tempore, & in quacunque parte litis opponi poterit. (*l*) 75. Ex qua reſolutione intelliges text. in leg. 2. tit. 17. lib. 4. Recop. dum probat, nullitatem ſententiæ opponendam eſſe intra ſexaginta dies, ut intelligi debeat, niſi opponatur exceptio nullitatis ex defectu *omnimodæ incompetentiæ*: nam talis exceptio quocumque tempore opponi poterit, ut ſupra diximus. (*m*)

EX SECUNDO TEMPORE.

SUMMARIA.

1 *REUS extrajudicialiter prius ab actore monendus ex urbanitate: & non ex juris neceſſitate.*

2 *Interpellatio extrajudicialis efficit, quod reus condemnetur in expenſis primæ citationis, & ſi compareat, & confiteatur debitum.*

3 *Limitantur Gloſſ. verb.* Rationabili *in cap.* Querela, *de* Procur. *& in cap.* Honoratus, *gloſſ. Magna* 74. *diſtinct. & in cap.* 1. *de* Dolo, *&* contum.

4 *Filius familias patrem, & quilibet actor quencunque aſcendentem, ut convenire valeat, à Judice veniam prius petere debet.*

5 *Filius familias, etiam cum venia judicis patrem convenire non poteſt, niſi in quibuſdam caſibus, & tunc, venia à Judice petita.*

6 *Filius emancipatus veniam petere debet, ut parentes ſuos convenire valeat.*

7 *Sunt plures perſonæ, quæ abſque venia conveniri nequeunt.*

8 *Gener ſocrum abſque venia convenire non poteſt, etiam affinitate diſſoluta.*

9 *Intellectus ad leg.* Cui eorum, §. Affinitates, *ff. de* Poſtul.

10 *Quòd Monachus contra Abbatem agere valet, nulla petita venia contra Archid. verius eſt.*

11 *Qui ſine venia agere nequeunt, ſi eam non petant, de jure communi pœna quinquaginta aureorum, & de* Jure Regio *pœna amiſſionis cauſæ puniantur.*

12 *Qui ſine venia agere non potens, ea non petita, agit, & ante litem conteſtationem pœnitet, vel vocati non comparuerint inviti, liberatur à pœna.*

13 *Nulla præcedente partis citatione, venia ad agendum concedi poterit.*

14 *Forma petendi veniam ad agendum, & aliquem conveniendum.*

15 *Filius familias, qui aliquem extraneum ſuper adventitiis convenire vult, patris conſenſum exigere debet.*

16 *Quando filius familias agit ſuper adventitiis cum conſenſu patris, libellus concipiendus erit in ejuſdem patris perſona, cum qualitate legitimi adminiſtratoris.*

17 *Ut filius familias extraneum convenire poſſit ſuper adventitiis, in quibus pater uſufructu caret, patris conſenſu opus eſt, contra Ottonem, & alios.*

18 *Patre abſente, filius familias major viginti quinti annis, abſque ejus conſenſu in judicio eſſe poteſt.*

19 *Forma concipiendi libellum, quando filius familias aliquid petere, vel aliquem ſuper adventiis convenire vult.*

Fi-

(*b*) Ex ſupr. reſolutis, & in ſpecie reſolvit Covarruv. ubi ſupr. n. 6.

(*i*) Ut probat text. in cap. *Si Clericus laicum*, de *For. compet.*

(*j*) In Pract. Quæſt. cap. 6. & 7.

(*k*) Ut probat text. in leg. 1. Cod. *Si à non compet. Jud.* & in cap. *Etſi Clerici*, de *Judic.*

(*l*) Secundùm gloſſ. fin. in clem. 1. de *Sequeſt. poſſeſſ.* Quam ſequitur Paulus in leg. 4. §. *Condemnatum*, ff. de *Re judic.* & Hippol. in ſingul. 78. & Covarruv. in Practic. Quæſt. cap. 25. n. 4.

(*m*) Secundùm Covarruv. in Pract. Quæſt. cap. 25. n. 4.

20 *Filius familias, quando ſuper Caſtrenſibus vel quaſi, vel ſuper beneficialibus, aut ſpiritualibus actionem intendere vult, patris conſenſus neceſſarius non eſt: & in propria, & non patris perſona libellus concipiendus erit.*

21 *Quia minor curatorem habens, in judicio comparere non poteſt, libellus in curatoris perſona concipiendus erit.*

22 *Minor abſque Curatoris, aut Patris conſenſu in judicio ſtare poteſt in beneficialibus, aut ſpiritualibus, & aliis caſibus relativè congeſtis: in quibus, ſi decipiatur, reſtitui poterit.*

23 *Si minori deſit Curator aut Tutor: ei à Judice ad litem dandus eſt alius, quem maluerit.*

24 *Minor, qui abſque Tutore, aut Curatore litem intendit, compelli poterit ad partis inſtantiam Tutorem, aut Curatorem ad litem aſſumere: alias judicio repellendus.*

25 *Minor cauſativè, & non præciſe Curatorem ad litem accipere adſtringitur.*

26 *Curator ad litem ſatiſdare debet.*

27 *Mulier conjugata, antequam contra aliquem experiatur, veniam, & expreſſam mariti ſui licentiam conſequi debet, nec tacita ſufficiet, contra Ciſuent. & Gom.*

28 *Quando ex legis diſpoſitione alicujus licentia ad aliquem actum exigitur, expreſſa opus eſt, & non tacita.*

29 *Licentia mariti, ut mulier agat nunquam ex temporis diuturnitate præſumitur, niſi tantum temporis effluxerit, cujus contrarium in mortalium memoriam non cadat.*

30 *Licentia danda à marito uxori, ſufficit teſtibus probari.*

31 *Licentia præſtanda à marito, ut uxor agat, ab excommunicato non præſtanda.*

32 *Præſcriptionem contra conjugatam matrimonio conſtante currere, ſubſtinet Auctor contra alios.*

33 *Præſtita licentia à marito, ut uxor agat, ſufficit uſque ad executionem ſententiæ.*

34 *Maritus ratum habere poteſt geſtum ab uxore ſine licentia in judicio, ſi ratificet, antequam nullitas ab adverſario opponatur.*

35 *Maritus ex cauſa compelli poterit, uxori licentiam præſtare, ut agere valeat.*

36 *Marito abſente, qui non ſperatur de proximo unire, cauſæ cognitione præcedente, poterit ejus uxori à Judice præſtari licentia agendi.*

37 *Ut Judex licentiam præſtare poſsit uxori agere volenti propter mariti abſentiam, ſufficit, quod abſit à loco, in quo eſt agendum, nec opus eſt quod abſit à territorio, contra Avendanius.*

38 *Conſideratio ad leg. 59. Tauri, quæ eſt lex 6. tit. 3. lib. 4. Recopil.*

39 *Judex poteſt agendi licentiam uxori præſtare, ejus marito muto, aut furioſo exiſtente, qui loco abſentis habetur.*

40 *Forma petendi licentiam agendi ab uxore agere volente in mariti ſui abſentia, aut quando mutus, furioſuſvè fuerit.*

41 *Mulier agere volens contra maritum vergentem ad inopiam, nulla licentia ejus, aut Judicis petita, experiri judicio poterit.*

42 *Agens contra majorem, in ejus perſonam, contra minorem habentem Tutorem, aut Curatorem, in eorum, & minoris perſonas citationem, & petitionem formare debet.*

43 *Proceſſus geſtus cum minore, abſque Tutoris, aut Curatoris auctoritate, nullus eſt.*

44 *Minori comparenti in judicio ſine Tutore, aut Curatore dandus eſt Curator ad litem, qui Curator ſatiſdare tenetur.*

45 *Agere volens contra Civitatem, Capitulum, Collegium, aut quancunque Univerſitatem, in eorum Procuratorem tendat actionem, & non in ſingulas perſonas Univerſitatis.*

46 *Libellus, licet poſsit concipi contra Civitatem, aut quancunque Univerſitatem, ſi ab ea mittatur Procurator, aut Syndicus reſponſurus, cum eo lis agitari valet.*

47 *Etiamſi ſolus Syndicus Univerſitatis pro ea compareat, citatus valida erit ſententia.*

48 *Si actori competat aliqua actio in aliquem defunctum, antequam agat, petat hæredes defuncti, vel adire, vel hæreditatem repudiare intra definitum aliquod tempus.*

49 *Forma qua petitur, quod defuncti hæredes adeant, vel hæreditatem repudient.*

50 *Ad petitionem creditoris defuncti Judex aſsignat arbitrio ſuo terminum hæredi defuncti, ut adeat, vel repudiet, qui, ter contumacia incuſata, habetur pro adeunte, vel repudiante, quod ſibi deterius fuerit, & tunc contra ipſum agitur.*

51 *Hæres contumax in adeundo, vel repudiando, habetur pro repudiante, vel adeunte quoad creditores, quorum petitione terminus ſibi fuit præfixus, non quoad alios.*

52 *Hæredi petenti, tempus juris ſibi darì ad acceptandum, vel repudiandum, dari poteſt annus, ſi à Principe impetretur, & ſi ab alio, novem menſes ſtatuuntur.*

53 *Tempus novem menſium jure hæredibus conceſſum, ut repudient, vel adeant, coarctari à Judice poteſt intra tempus centum dierum, & non ultra, ad hoc, ut hæres pro adeunte, vel repudiante habeatur: ſed ut hæreditati curator detur ad reſpondendum creditoribus, brevius tempus ſtatui poteſt.*

54 *Unde emanaverit praxis, quòd Judex aſsignet aliquem terminum, ut quis adeat, vel repudiet, & quod non adeunte, vel intra terminum non recuſante hæreditatem, adverſus eum intentetur actiones, & ſi recuſaverit, quòd ſequentes in gradu requirantur, & nemine adeunte, curator bonis detur, contra quem actiones dirigantur.*

55 *Quoties maritus, hæreſve ejus adverſus uxorem, vel hæredem ejus agere intentat, petat priùs, bona quæſita conſtante matrimonio acceptari, vel repudiari intra breve temporis ſpatium.*

56 *Si reus conveniendus abſens ſit in locis remotis, aut captus ab hoſtibus, ſuus bonis defenſor dandus eſt, in quem dentur actiones, præhabita informatione abſentiæ, captivitatis, debiti, & quod bona illa ad abſentem ſpectent.*

SECUNDUM TEMPUS.

DE PRÆPARATORIIS ANTE *Citationem.*

1. POſtquam Actor deliberaverit, coram quo Judice ſuum adverſarium convenire debeat, opportebit, eundem, & ejus Advocatum ſequentia attendere. Primò, quòd extrajudicialiter reum admoneat, (a) quæ tamen admonitio de neceſsitate judicii non eſt, ſed potiùs ex quadam urbanitate. (b) 2. Hæc tamen interpellatio extrajudicialis utilis erit, quia, ea præcedente, reus condemnari poterit in expenſis primæ citationis, licèt ad judicium veniens fateatur debitum, quamvis ab actore non petantur, ſecundum Baldum, (c) Jaſſonem, (d) & Didac. Perez, (e) 3. ex quibus limitantur gloſſa in cap. *Quærellam*, verb. *Rationabili*, de *Procurat.* & gloſſ. magna, in cap. *Honoratus*, 74. diſt. & gloſſ. in cap. 1. de *Dolo, & contum.* aſſerentes, citatum comparentem in termino, non teneri ſolvere expenſas primæ citationis, ut non procedant dictæ gloſſæ, quando prius extrajudicialiter eſſet interpellatus. Quinimò ex parte actoris præſumitur hanc denunciationem extrajudicialem reo factam fuiſſe, ac proinde reum arctari ad probandum ſibi denunciatum non fuiſſe, alias teneri ad expenſa uſque illud tempus factas, ita colligit Romanus ex text. in l. *In fideicommiſsi* in princ. verſ. *Tametſi*, ff. de *Uſur.* & *fruct.* (f) Sed in puncto juris crederem, contrariam ſententiam veram eſſe; imò quòd non præſumatur interpellatio, niſi probetur, quæ opinio primo probatur ex juris regulis, quæ arctant ad probandam qualitatem deductam. (g) Secundo facit l. *Si ex legati cauſa*, ff. de *Verb. oblig.* ibi: *Si.... interpellatus*, ſi naturam adjectionis conſideremus. Tertio facit, quia reſultaret iniquitas, cum reus obligaretur ad probandam negativam, quòd impoſsibile eſt, (h) nec obſtat text. dict. l. *In fideicommiſsi*: quia loquitur in actione ex teſtamento, in qua non eſt neceſſaria interpellatio, & ſic non requiritur probatio denunciationis. (i)

4. Secundo advertat Actor, ſi ſit filiusfamilias, & convenire velit patrem, matrem, vel alios aſcendentes utriuſque ſexus in infinitum, quod imprimis veniam à Judice petat: 5. licèt enim filiusfamil. non poſsit, etiam cum venia, ſuos parentes convenire; (j) tamen in pluribus caſibus congeſtis per Gloſſam, (k) & Gregor. Lupum, (l) bene poterit eos convenire, dummodo prius veniam à Judice petat. (m) 6. Quinimò filius emancipatus eandem veniam petere tenebitur, quoties ſuos

(a) Ut probat text. in leg. *Quidam Hiberus*, ff. de *Servit. Urban. præd.* & in leg. *Debitores*, Cod. de *Pignor.*

(b) Secundùm gloſſ. in cap. *Licèt Heli*, verb. *Inſcriptio*, Extra de *Simon.* & gloſſ. in dict. leg. *Debitores.* Et hunc eſſe communem intellectum dict. leg. *Quidam Hiberus.* Teſtantur Angel. n. 11. & Jaſſ. n. 41. in §. *Sic itaque*, Inſtit. de *Action.* Panor. & Felin. in cap. 2. de *Accuſat.* Quamvìs text. ille hoc non probet, ut advertit Duarenus lib. 2. Diſput. cap. 28.

(c) In leg. *Non ignoret*, Cod. de *Fruct. & lit. expenſ.* Bald. & Salicet. in leg. *Properandum*, §. *Sin autem*, Cod. de *Jud.*

(d) In leg. *Certi condictio*, col. 1. ff. *Si cert. petat.* Dec. in leg. *Qui in alterius*, n. 9. ff. de *Reg. jur.*

(e) In Rubric. tit. 1. lib. 3. Ordinam. quæſt. 6. Et Rebuſus in 3. tom. ad Leges Gall. tit. de Expenſis.

(f) Ibi in Notab. 397. & verba illius legis notat Bartol. ibi, & Florian. ponderat ad materiam, dict. leg. *Quidam Hiberus*, & hoc corollarium tenet idem Romanus in Singul. 396. Sequitur Felin. cap. *Non eſt*, in fin. cap. *Quoniam contra*, n. 15. & ibi Decius de *Probat.* Hyppolit. leg. *Patre, vel marito*, n. 43. ff. de *Quæſt.*

(g) Juxta leg. 2. ff. de *Probat.* Tradit Hyppolit. in Rubric. Cod. de *Probat.* n. 337.

(h) Secundùm Felin. cap. *Novit.* de *Judic.*

(i) Secundùm Bart. leg. *Si hæres*, ff. de *Eo quod cert. loc.* Jaſſ. §. *Actionum*, Inſtit. de *Action.*

(j) Ut probat text. in leg. *Lis nulla* 4. ff. de *Judic.* & in leg. pen. Cod. de *In jus voc.* & in leg. 2. tit. 2. Part. 3. & in leg. 11. tit. 17. Part. 4.

(k) In dict. leg. *Lis nulla*, & gloſſ. in cap. fin. verb. *Regulariter*, de *Judic.* lib. 6.

(l) In dict. leg. 2. & 3. tit. 2. Part. 3.

(m) Juxta gloſſ. in §. *Pænales*, verb. *Cum hic*, Inſtit. de *Action.* & gloſſ. in leg. *Adoptivum*, verb. *Vocari*, ff. de *In jus voc.* Quarum opinionem dicit communem Jaſſ. in dict. §. *Pænales*, n. 87.

parentes convenire voluerit. (*n*) 7. Sunt plures alii, qui abſque prædicta venia conveniri nequeunt, quorum meminit text. in leg. 4. §. *Prætor ait*, ff. de *In jus voc.* & aliis legib. illius tit. & in l. 2. tit. 2. Part. 3.

8. Præterea Socer, & Socrus à Genero conveniri non poſſunt, ſine dicta venia, ſecundum Gloſſam, (*o*) ubi Alexander firmat, idem obſervandum eſſe, etiam affinitate diſſoluta: (*p*) 9. cui opinioni non obſtat text. in leg. *Cui eorum*, §. *Affinitates*, ff. de *Poſtul.* quatenus probat, affinitate finita, ejus effectus cenſeri finitos: nam illud procedit, quando effectus conſiſteret in aliqua utilitate, abſque reverentia: cæterum ſi in aliqua reverentia conſiſteret, affinitate diſſoluta, ejus effectus non ceſſarent. (*q*) Novercam etiam ſine venia conveniri non poſſe à Privigno, firmat Gloſſa. (*r*) Contrariam ſententiam, imo abſque venia poſſe Novercam conveniri, tenent Fulgoſius, (*ſ*) & Jaſſo. (*t*)

10. Rurſus Monachus ſuum Abbatem convenire non poterit, niſi petita prius venia, ut firmat Archidiaconus, (*u*) in hoc tamen caſu verior opinio eſt, veniam non eſſe neceſſariam, ut docet Innocentius. (*x*) 11. Et adverte, quod ſi aliquis ex ſupradictis, qui veniam tenentur petere, convenerit aliquem in Judicio, erit puniendus de *Jure communi* pœna quinquaginta aureorum, (*y*) & de *Jure Regio* punitur pœna amiſsionis cauſæ, (*z*) 12. à qua pœna liberabitur, ſi ante litem conteſtatam pœnituerit, & ab inſtantia receſſerit, vel vocati non inviti comparaverint, nil opponendo contra vocantem, (*a*) vel ſi in primo actu judiciali non fuerit oppoſita exceptio veniæ non petitæ: nam tunc cenſetur remiſſa neceſsitas petendi veniam. (*b*)

Unde tu reus cavebis, quod quando tibi competat prædicta exceptio veniæ non petitæ, eam opponas in primo actu judiciali. 13. Adverte inſuper, quòd ad hanc veniam concedendam, citatio partis non requiritur, (*c*) ſed erit petenda modo, & forma ſequenti in principio libelli.

Iluſtre Señor.

14. „ Fulano, con licencia, que ante todas
„ coſas à Vmd. pido, y ſiendome concedida,
„ ò injuſtamente denegada, como mas haya
„ lugar de Derecho, parezco ante Vmd. y
„ pongo Demanda contra F. mi padre legiti-
„ mo, y contando el caſo de ella, digo que
„ aſsi es, &c.

Et ita erit de reliquis dicendum, mutatis mutandis.

15. Cæterum ſi filiusfamilias convenire velit alium extraneum, non parentem, ſuper bonis adventitiis, in quibus pater uſumfructum habet, non poterit in judicio eſſe abſque conſenſu patris, (*d*) 16. ideoque, tunc libellus erit concipiendus in perſona patris cum qualitate legitimi adminiſtratoris. 17. Quinimo, ſi extraneus eſſet conveniendus à filiofam. ſuper bonis adventitiis, in quibus pater non habet uſumfructum, (*e*) abſque conſenſu patris non poſſet filius in judicio eſſe, ſecundum Gloſſam. (*f*) Pro qua opinione facit text. in cap. fin. §.

(*n*) Ut probat text. in leg. 4. verſ. *Prætor.* & in l. *Adoptivum*, §. 1. ff. de *In jus voc.* & in leg. pen. Cod. de *In jus voc.* & in leg. 3. tit. 2. Part. 3. & in leg. 4. tit. 3. Part. 3. Et ita pro regula conſtituit cum pluribus ampliationibus, & limitationibus Socin. in regul. 244. Hyppol. in ſing. 613. Roder. Suarez in leg. 9. tit. 11. lib. 1. For. Oroſc. in leg. *Quique litigandi*, n. 3. ff. de *In jus voc.* Et Petrus Dueñas in regul. 351.

(*o*) Receptam communiter ex Alex. ibi n. 1. in leg. *Generaliter*, ff. de *In jus voc.*

(*p*) Per text. in leg. pen. Cod. de *Jur. dot.*

(*q*) Secundùm Angel. & Alex. in dict. leg. *Generaliter.*

(*r*) In dict. leg. *Generaliter* in fin. dum allegat text. in §. *Socrum*, Inſtit. de *Nupt.* Joan. Andr. poſt Speculat. in tit. de Actore, §. 1. n. 21. verſic. *Generaliter.* Quam opinionem dicit communiter probari Curt. Jun. in leg. 1. n. 3. & 7. Cod. de *In jus vocand.*

(*ſ*) Alex. col. 2. Socin. quæſt. 10.

(*t*) In dict. leg. *Generaliter.* Et hanc dicit magis communem deciſio Pedamont. 31. n. 20. in fin. quo in loco latè diſputat iſtum articulum.

(*u*) In cap. *Cum paſtoris* 2. quæſt. 7.

(*x*) In cap. *Cum P.* de *Accuſ.* & ſequitur Panorm. in cap. *Ex parte*, n. 6. de *Accuſ.*

(*y*) Ut probat text. in leg. *In eum*, ff. de *In jus voc.* & §. fin. Inſtit. de *Pœn. tem. litig.* & not. gloſſ. in §. *Pœnales*, Inſtit. de *Act.* verb. *In eum*, & ibi Miſing. à n. 29. & Jaſſ. à num. 43.

(*z*) Ut in leg. 14. tit. 2. Part. 3.

(*a*) Ita tenet gloſſ. in dict. §. *Pœnales*, verb. *In jus vocaſſet*, & ibi Jaſſ. n. 85. per text. in leg. *Quamvis*, ff. de *In jus voc.*

(*b*) Secundùm Bartol. n. 2. Angel. in fin. Alex. col. 2. verſic. ultim. nota in leg. *Quamvis*, ff. de *In jus voc.* Et communiter omnes ex deciſion. Pedamont. 31. n. 21.

(*c*) Ut docet Bald. in leg. *Ea quæ*, Cod. *Quom. & quand. jud.* col. fin. & in leg. *Sed ſi hac*, §. *Prætor ait*, ff. de *In jus voc.* Et Marant. de Ord. Jud. 6. part. memb. 1. in n. 8.

(*d*) Ut in leg. fin. §. *Neceſsitate*, Cod. de *Bon. quæ liber.* & in leg. 7. tit. 2. Part. 3. Et ibi Greg. Lup. in gloſſ. 1. & Socin. in reg. 195.

(*e*) Ut in ſpecie text. Auth. *Excipitur*, & Auth. *Idem*, Cod. de *Bon. quæ liber.*

(*f*) In leg. fin. verſic. *Neceſsitate*, Cod. de *Bon. quæ lib.* verb. *Imponenda.* Quam dicunt communiter receptam Bartol. & Bald. n. 9. ibi: Et veriorem, & tutiorem appellat Joan. de Imol. leg. fin. §. 1. ff. de *Verb. oblig.* Et Aſin. in Praxi, §. 18. cap. 1. n. 3.

§. *In hujuſmodi*, de *Judic.* lib. 6. & leg. 7. tit. 2. Part. 3. dum illa jura indiſtinctè requirunt patris conſenſum. Et ita exiſtimo tenendum eſſe, etſi oppoſitam ſententiam, imò conſenſum patris non eſſe neceſſarium, aſſerat Ottho Doctor Antiquus relatus à Gloſſa. (*g*) 18. Quod tamen verum eſt, niſi pater abſens eſſet: nam tunc filiusfamilias major vigintiquinque annis poterit in judicio eſſe. (*h*) Ex qua reſolutione conſtat, quod in prædictis caſibus libellus erit formandus in perſona patris, adjecta qualitate legitimi adminiſtratoris, quæ qualitas adjici debet, ut conſuluit Bartolus. (*i*) Et forma libelli erit in hunc modum.

Iluſtre Señor.

19. „ Fulano, como padre, y legitimo
„ Adminiſtrador, que ſoy de la perſona, y
„ bienes de F. mi hijo legitimo, como mas
„ haya lugar de Derecho, parezco ante Vmd.
„ &c.

20. Sed ſi filiusfamilias velit extraneum convenire ſuper bonis caſtrenſibus, vel quaſi, vel beneficialibus, aut ſpiritualibus, tunc patris conſenſus non requiritur, & libellus in propria perſona erit concipiendus. (*j*)

21. Tertio advertat Actor, quod ſi ſit impubes, vel pubes minor viginti quinque ann. & tutorem, vel curatorem habeat, quòd libellus, & petitio concipiantur nomine tutoris, vel curatoris: nam minor viginti quinque ann. non habet perſonam legitimam ſtandi in judicio: (*k*) 22. niſi pro rebus beneficialibus, vel ſpiritualibus voluerit comparere, quia tunc major putatur, & ſuper illis, abſque conſenſu patris, & tutoris, vel curatoris in judicio experiri poterit, (*l*) & etiam in aliis caſibus, quos congerit Panormitanus. (*m*) Et ſi in eiſdem caſibus decipiatur, bene reſtitui poterit, ut docet Panormitanus. (*n*) 23. At verò ſi tutorem, vel curatorem actor minor non habuerit, petere debebit à Judice, ut ſibi detur tutor, vel curator ad lites, qui ei dandus erit, quem ipſe voluerit. (*o*) 24. Quinimò ſi abſque tutore, vel curatore in judicio experiatur, & adverſarius petat, ut tutor, vel curator ad lites ei detur, compellendus erit etiam invitus tutorem, vel curatorem accipere, alioquin non erit audiendus, cùm non habeat perſonam legitimam ſtandi in judicio, & proceſſus, & ſententia contra eum lata eſſet nulla. (*p*) 25. Undè conſtat, hunc minorem cauſativè, & non præcisè cogendum eſſe tutorem, vel curatorem ſuſcipere, hoc eſt, quòd ſi velit audiri in judicio, tutorem, vel curatorem accipiat, aliàs non audiatur: in quem ſenſum eſt accipiendus text. in leg. 3. §. *Si pupillus*, ff. de *Tutel.* qui ſibi videbatur contradicere. 26. Qui Curator ſatiſdare debet, ut reſolvimus infra in iſto Tempore, in verſic. *Quinto adverte.*

27. Quarto attendat Actor, quòd ſi ſit mulier conjugata, & contra aliquem voluerit in judicio experiri, tenetur prius veniam à marito impetrare, quia abſque licentia mariti in judicio eſſe non poteſt, (*q*) alioquin proceſſus, & omnia acta eſſent nullius momenti: quæ licentia expreſsè à marito præſtanda erit, nec ſufficiet tacita: ut putà, ſi maritus præſens eſſet tempore, quo mulier in judicio ageret, nec maritus contradiceret. 28. Nam quoties ex legis diſpoſitione licentia alicujus in aliquo actu requiritur, expreſsè, & non tacitè erit præſtanda; (*r*) quamvis Ciſuentes, (*ſ*) & Anton. Go-

(*g*) Dict. leg. fin. verb. *Imponenda*, Cod. de *Bon. quæ lib.* Bart. ubi Angel. dicit hanc eſſe veriorem opinionem: & communem teſtatur Curt. in leg. 1. Cod. *Qui admitti*, n. 38. & Zucar. n. 68. & Sebaſt. Vant. in Tract. de Nul. Proceſſ. in Rubric. ex defectu inhabilitatis, n. 41.

(*h*) Juxt. text. in leg. 7. tit. 2. Part. 3.

(*i*) In leg. 1. n. 2. Cod. de *Bon. matern.* & Felin. in cap. *Cum olim*, col. 4. de *Teſtib.*

(*j*) Juxta text. in leg. 2. ff. *Ad S. C. Maced.* leg. 4. §. 1. ff. de *Caſtrenſi pecul.* leg. *Filiusfam.* in princ. ff. de *Procur.* leg. *Si longius*, §. 1. ff. de *Jud.* & text. cap. fin. de *Jud.* in 6. Et tradit Greg. Lup. in leg. 2. tit. 2. Part. 3. & in l. 7. tit. 2. Part. 3. in gloſſ. 1. Et Sebaſt. Vant. in Tract. de Nullitat. Proceſſ. num. 1. Rubr. *Ex defectu inhabilitatis*, ubi à n. 4. cum multis plures perſonas, quæ in judicio ſtare non poſſunt, congerit quem require, quando caſus occurrerit.

(*k*) Ut probat text. in leg. 1. & 2. Cod. *Qui perſon. legitim.* & leg. 7. & 11. tit. 2. Part. 3.

(*l*) Ut in cap. fin. de *Judic.* in 6.

(*m*) In cap. *Ex parte*, de *Reſtit. ſpol.*

(*n*) In dict. cap. *Ex parte*, n. 16. & ſequitur Covar. lib. 1. Variarum Reſolut. cap. 5. n. 8. ſic intelligens text. dict. cap. fin. de *Jud.* lib. 6.

(*o*) Ut probat text. in leg. *Qui habet*, §. *Si pupillus*, & ibi gloſſ. ff. de *Tutel.* & in leg. 13. tit. 16. Part. 6.

(*p*) Ut probat text. in leg. *Non eo minus*, Cod. de *Procurat.* & firmat gloſſ. fin. in leg. *Si longius*, §. fin. ff. de *Jud.* ibi: *Putò quòd.* Ubi eam ſequuntur Bart. Bald. & Paul. & Vanc. Tract. de Nullit. ex defectu inhabilitatis, num. 42. & Angel. in §. 1. n. 4. Inſtit. de *Curat.* pro cujus opinione eſt leg. 13. tit. 16. Part. 6.

(*q*) Ut probat text. in leg. 55. Tauri, quæ habetur in leg. 2. tit. 3. lib. 5. Recop.

(*r*) Secundùm Bart. Angel. Rom. & Imol. in leg. 2. §. *Voluntatem*, ff. *Solut. matrim.* Archid. & Joan. Andr. in capit. *Abbatem*, de *Elect.* lib. 6. Et eſt communis opinio, teſte Corſet. in ſingul. ſuo, in parte, Licentiæ. Decio in conſil. 38. Et eandem tenent plures alii relati ab Ant. Gom. in dict. leg. 55. n. 5. & ab Avend. quos ipſe ibi ſequitur in declaratione, leg. 4. & 5. tit. *De las excepciones*, lib. 3. Ordin. n. 39.

(*ſ*) In dict. leg. 55. quæſt. 14.

mez (*t*) oppoſitam ſententiam teneat, nempè, tacitam licentiam ſufficere. 29. Nec talis licentia præſumitur, ſi actus reperiatur geſtus à muliere conjugata, etiam ex diuturnitate temporis, niſi tantum tempus elapſum eſſet, cujus memoria hominum in contrarium non eſſet. (*u*) 30. Non tamen requiritur, quod prædicta licentia in ſcriptis detur, ſed ſufficit teſtibus probari, (*x*) nam per epiſtolam, vel nuntium maritus hanc licentiam uxori dare poteſt. (*y*) 31. Nec ſufficit ſi à marito excommunicato præſtetur talis licentia. (*z*)

32. Ex quibus ſequitur quòd cum mulier conjugata ſit impedita agere, quòd, matrimonio conſtante, contra eam non currat præſcriptio in ſuis bonis, etiam non dotalibus, per text. in l. *In rebus*, §. fin. Cod. de *Jur. dot.* & facit Regula, quòd non valenti agere non currit præſcriptio. (*a*) Nihilominus tamen, Joan. Faber (*b*) oppoſitam ſententiam tenet, argum. text. in cap. *Conſtitutus*, de *In integr. reſtit.* præſertim quòd in Curia Eccleſiaſtica potuit agere, & impedito currit tempus, ſi non fecit diligentias de tollendo impedimento. (*c*) Cifuentes tamen (*d*) diſtinguit in hunc modum, videlicet, quòd contra talem mulierem in rebus dotalibus non currat præſcriptio: (*e*) & idem eſſe in rebus donatis propter nuptias, quæ hodie *Arrhæ dicuntur*, reſolvit Rodericus Suarez. (*f*) In rebus verò non dotalibus, inquit Cifuentes, quòd præſcriptio contra eam currat, per text. leg. *Velles necne*, Cod. de *Revoc. donat.* Nec obſtat text. in dict. leg. 1. §. fin. Cod. de *Annal. except.* nam reſpondeo, quòd mulier in præſenti potuit agere cum licentia mariti, ad quam præſtandam erit compellendus, (*g*) cæterum in dict. leg. 1. §. fin. Filiusfamil. non potuit agere, impediente patria poteſtate. Sed quia congrua ratio diffferentiæ reddi non poteſt inter conjugatam, & filiumfamilias, cum filius poſsit agere de licentia patris, & compellere patrem ad dandam ſibi licentiam, (*h*) ideò ipſe Cifuentes hoc reliquit cogitandum. Unde Palatius Rubeus, (*i*) & ibidem Doct. Caſtellus (*j*) exiſtimant, præſcriptionem non currere contra talem mulierem, tam in bonis dotalibus, quàm in aliis quibuſcunque, tum quia eſt impedita agere, conſtante matrimonio, tum etiam quia ex alio capite contra conjugatam præſcriptio non currit, ex eo quod eſt prohibita contrahere, & alienare, (*k*) & contra prohibitum alienare præſcriptio non currit: nam in *alienationis* verbo præſcriptio continetur. (*l*) Mihi autem magis placet opinio Joannis Fabri, cui libenter adhæreo, exiſtimans in *praxi* tanquam veriorem, & receptiorem admittendam fore, ex eo quod qui de facili impedimentum removere poteſt, adeundo Judicem, vel alio modo, impeditus dici non poteſt; (*m*) ſed mulier conjugata de licentia mariti, vel eo recuſante, adeundo Judicem, ut maritum compellat ad præſtandam ſibi licentiam, poteſt eſſe in judicio, & ſic illud impedimentum removere: (*n*) ergo adverſus eam bene poterit præſcriptio currere in bonis non dotalibus, nec arrhalibus, cum poſsit facili negotio impedimentum removere. Sic etiam contra filiumfamilias currit præſcriptio in illis bonis, in quibus pater non habet uſumfructum, vel illi renunciavit, quia licèt abſque licentia patris non poſsit agere; tamen cum illud impedimentum de facili potuit removere per Judicis aditum, ut patrem compelleret ad dan-

(*t*) Ibi n. 5.

(*u*) Ut reſolvit Avend. ubi ſupr. n. 41. & 42.

(*x*) Ut tenet Montal. in leg. 41. Taur. verb. *Dè la licencia.*

(*y*) Ut colligitur ex gloſſ. leg. *Si cum dotem*, §. *Si patri*, verb. *Oportet*, ff. *Solut. matrim.* text. leg. *Honores*, ff. de *Decurion.* Bartol. leg. *Si filiusfam.* in fin. ff. de *Donat.* notat Specul. in Tit. de Actore, §. 1. col. 14. Bart. in leg. fin. §. *Neceſsitate* in fin. Cod. de *Bon. quæ liber.* quos ſequitur Cifuent. in dict. leg. 55. Tauri, quæſt. 9. & Rod. Suar. in leg. 13. tit. *De las deudas*, lib. 3. Fori, verſic. *Quæritur ulterius.*

(*z*) Ut tenet Bald. in l. 1. col. fin. Cod. de *Jur. & fact. ignor.*

(*a*) Ut in leg. 1. §. fin. Cod. de *Annali except.* & in Auth. *Niſi tricennale*, Cod. de *Bon. mater.* Ubi Pinel. à n. 42. prædictam regulam explicat, & pluribus ornat.

(*b*) In leg. 1. col. 2. Cod. de *Bon. mater.*

(*c*) Ut in cap. fin. de *Elect.*

(*d*) In dict. leg. 55. in fin.

(*e*) Et ita intelligit text. in dict. leg. *In rebus*, §. fin. gloſſ. 3. & Doct. in cap. *Cum non liceat*, de *Præſcrip.* & convenit leg. 8. tit. 29. Part. 3.

(*f*) In tit. *De las Arras*, lib. 3. For. in 1. leg. & eum refert Greg. Lup. dict. leg. 8. verb. *En dote.*

(*g*) Ut in leg. 56. 57. Tauri.

(*h*) Ut in leg. fin. §. *Neceſsitate*, Cod. de *Bon. quæ lib.*

(*i*) In dict. leg. 55. Taur. n. 21.

(*j*) In gloſſ. fin. verſic. *Adde mulier.*

(*k*) Ut probatur in dict. leg. 55. Taur.

(*l*) Ut in leg. *Alienationis verbum* 28. ff. de *Verb. ſignific.* Et ita firmant gloſſ. & Doctor. in leg. 1. Cod. *Si adver. uſucap.*

(*m*) Ut probat text. in leg. *Qui poteſt* 135. ff. de *Reg. jur.* & ibi notant gloſſ. & Decius, & ibi Panorm. in cap. fin. de *Elect.* optimus text. in leg. *Quibus diebus*, ff. de *Cond. & demonſtr.* Ex quo idem colligunt Alber. & Bald. ibi Felin. Rub. & alii plures, quos refert & ſequitur Pinel. in Auth. *Niſi tricennale*, n. 48. Cod. de *Bon. mater.* Et ad idem eſt text. Melior in leg. *Sed etſi*, §. *Hæc clauſulæ*, ff. *Ex quib. cauſ. maj.*

(*n*) Juxta text. in 55. Taur. cum duabus ſequent. quarum deciſio innovata eſt in leg. 2. 3. & 4. tit. 3. lib. 5. Recop.

dam ſibi licentiam, (*o*) ideò contra filiumfamilias in illis bonis præſcriptio currit, vivo patre. (*p*) Unde conſtat, lapſum fuiſſe Cifuentem, (*q*) dum aſſeruit, rationem differentiæ conſtitui non poſſe inter mulierem conjugatam, & filiumfamilias, quaſi voluerit, contra filiumfamilias non poſſe præſcriptionem currere in bonis, in quibus uſusfructus patri non quæritur, etiamſi de licentia ejus poſsit agere, & Judicem adire, ut patrem compellat; cum tamen oppoſitum verum ſit, ut ſuprà reſolvimus. Nec huic noſtræ veræ opinioni obſtabit dicere, contra reverentiam marito, vel patri debitam videri, quòd Judicem adeant, ut maritum vel patrem compellat: (*r*) nam reſpondeo, quòd uxor, & filiusfamilias hoc facere poſſunt ex permiſſu legis, atque ideò eis licitum, & honeſtum eſt. (*ſ*) Non etiam refragatur argumentum adductum ex dict. leg. *Alienationis* verbum: nam reſpondetur, oppoſitam ſententiam veriorem eſſe, imò, prohibita alienatione, non cenſeri prohibitam præſcriptionem, ſeu uſucapionem, (*t*) & opinioni Joann. Fabri, rejectis ejus fundamentis, expreſsè ſe ſubſcribit per plura fundamenta Roderic. Suarez, (*u*) quo in loco ſatisfacit text. in leg. 1. §. *Ne autem*, Cod. de *Ann. except.* quem etiam aliter, & novè intelligit Pinellus: (*x*) conſenſit ſatis huic opinioni Gregor. Lupus, (*y*) dum quærens, an in bonis non dotalibus, nec arrhalibus mulieri conjugatæ præſcriptio currat, ſe remittit ad Joann. Fabrum, & ad Panormitanum, (*z*) ubi Panormitanus firmat, impedimentum non excuſare eum, qui per aditum Judicis illud removere potuit: hanc tamen opinionem Fabri limitat Rodericus, (*a*) quando maritus eſſet ita ſævus, & auſterus, quòd præſumeretur manus violentas in uxorem injicere, ſi eum ad judicium traheret: cujus doctrinam ego intelligo veram, quando maritus ſolitus eſſet mulierem male tractare, & minas in executionem ponere, ex his, quæ nos infra reſolvimus in 3. Tomo, cap. 5. §. 4. num. 6.

33. Adverte tamen, quòd ſi maritus in initio litis præſtitit prædictam licentiam uxori, non requiritur alia licentia, nec novus conſenſus mariti ad prolationem ſententiæ, vel executionem ejus, ut reſolvit Cifuentes. (*b*)

34. Adverte etiam, quòd maritus poterit ratum habere omne actum in judicio per ejus conjugem abſque licentia, & validum erit. (*c*) Quod intellige verum, ſi ratificatio interveniat, antequam exceptio nullitatis oppoſita eſſet per adverſarium. (*d*) 35. Adverte inſuper, quod ſi neceſsitas exegerit, & maritus noluerit præſtare uxori licentiam ad agendum, quòd poterit per Judicem compelli, præcedente cauſæ cognitione, ut dictam licentiam præſtet. (*e*)

36. Rurſus adverte, quod ſi maritus ſit abſens, & non ſperetur de proximo venire, tunc Judex poterit prædictam licentiam uxori dare, præcedente cauſæ cognitione, ut in leg. 59. Tauri, quæ habetur in leg. 6. tit. 3. lib. 5. Recop. 37. & ſufficit, quod maritus ſit abſens à loco, in quo erit agendum. (*f*) Nec erit neceſſe, quod abſit à territorio Judicis, ut aſſerebat Avendanius, (*g*) 38. quia prædicta lex 59. ſolummodo conſiderat, quod non ſperetur maritum de proximo venire, & ita ſi intra territorium ſit impeditus tali impedimento, quod non ſperetur de proximo venire, Judex cum cognitione cauſæ legitimæ neceſsitatis, vel utilitatis poterit prædictam licentiam concedere, nec ſatisfacit dicere, intra territorium poſſe à Judice compelli: nam propter reverentiam maritalem rationi conſonum eſt, quòd mulier contra maritum non agat.

39. Adverte præterea, eandem licentiam poſſe Judicem conjugatæ concedere, quando maritus eſſet mutus, licèt præſens eſſet: vel quando eſſet furioſus: nam tunc loco abſentis habetur, (*h*) & in his caſibus, quando Judex

(*o*) Juxta ſpeciem text. in leg. fin. §. *Neceſsitate*, Cod. de *Bon. quæ liber.*

(*p*) Secundùm Bald. in dict. Auth. *Niſi tricennale*, ante n. 1. Bald. in leg. 1. n. 21. Cod. *Qui admitti.* Balb. Tract. de Præſcript. 1. part. 6. part. n. 15. in princ. & plures alios, quos refert, & ſequitur Pinel. ubi ſupr. n. 33.

(*q*) In dict. leg. 55. Taur. in fin.

(*r*) Juxta ea, quæ notat Pinel. ubi ſupr. n. 45. in fin.

(*ſ*) Argum. leg. *Gracbus*, Cod. de *Adult.*

(*t*) Secundùm Bartol. in leg. *Filiusfamil.* §. *Divi*, n. 22. de *Leg.* 1. Cujus opinionem veriorem teſtatur Pinel. ubi ſupr. n. 25.

(*u*) In leg. 3. tit. *De las deudas*, lib. 3. For. verſic. *Quæro ulterius, utrum.*

(*x*) Ubi ſupr. n. 45.

(*y*) In leg. 8. tit. 29. Part. 3. in gloſſ. verb. *En dote.*

(*z*) In cap. 2. de *Conc. præb.*

(*a*) Ubi ſupr. dict. leg. 3.

(*b*) In dict. leg. 55. Taur. quæſt. 15. per ea, quæ notant gloſſ. & Doctor. in dict. leg. fin. §. *Neceſsitate.*

(*c*) Ut probat text. in leg. 58. Taur. quæ habetur in leg. 5. tit. 3. lib. 5. Recop.

(*d*) Ut tenet Cifuent. in dict. leg. 58. in 2. dubio.

(*e*) Juxta text. in leg. 57. Taur. quæ habetur in leg. 4. tit. 3. lib. 5. Recop.

(*f*) Argum. text. in leg. *Abſentem*, & in leg. *Collegarum*, §. 1. & in leg. *Mulierum*, §. fin. ff. de *Verb. ſign.*

(*g*) In declaratione leg. 4. & 5. tit. *De las excepciones*, lib. 3. Ordin. n. 43. verſic. *Quando.*

(*h*) Ut in leg. *Sed ſi unus*, §. *Filiofamilias*, ff. de *Injur.* Et ita reſolvit Avend. ubi ſupr. n. 41.

dex licentiam concedere poteſt, petitio erit formanda modo ſequenti.

Iluſtre Señor.

40. „ Fulana, muger legitima de F. digo, „ que yo tengo neceſsidad de mover, y tratar „ ciertos pleytos en Juicio contra F. y el di- „ cho mi marido eſtà auſente de eſte Lugar, „ y no eſpero que vendrà tan preſto: por ende „ à Vmd. pido, que habida informacion de la „ auſencia del dicho mi marido, y de la ne- „ ceſsidad, que tengo de mover los dichos pley- „ tos, me mande dàr licencia para los poder „ mover, y eſtar en Juicio, y hacer los de- „ màs Autos neceſſarios, para ſu buena expe- „ dicion, ſobre que pido juſticia, y el oficio „ de Vmd. imploro: y juro en forma de De- „ recho, &c. que eſto no pido de malicia.

41. Cæterùm ſi mulier conjugata velit agere contra ſuum maritum ad inopiam vergentem pro dote ſibi reſtituenda, vel pro alimentis, aut alia cauſa, bene poterit in judicio experiri ſine licentia mariti, vel Judicis. (*i*)

42. Quintò advertat Actor, an experiri debeat cum majori, vel minori vigintiquinque annis: nam ſi major fuerit reus; contra ipſum citatio & petitio erit formanda; ſi verò fuerit minor habens tutorem, vel curatorem, tunc contra tutorem, vel curatorem, & ipſum minorem erit intentandum, (*j*) 43. alioquin proceſſus geſtus cum minore abſque auctoritate tutoris, vel curatoris nullus eſſet, (*k*) & tunc debet dicere: *Pongo demanda à Fulano, y à Fulano ſu tutor, ò curador*, vel ſic: *A Fulano, como Actor, ò Curador, que es de la perſona, y bienes de Fulano.* 44. Cæterum ſi minor contra quem actor velit agere, tutorem, vel curatorem non habuerit, citandus erit ad inſtantiam actoris, ut legitimè compareat reſponſurus actori: & ſi comparuerit ſine tutore, vel curatore, tunc actor petere debet, ut ſibi detur *Curator ad litem*, quo caſu dabitur, etiam invito. (*l*) Qui curator ad litem datus ſtatim debet ſatiſdare. (*m*)

45. Sexto advertat Actor, quod ſi agere velit contra Civitatem, Villam, Oppidum, Capitulum, Conventum, Collegium, quod conveniat Procuratorem, ſive Syndicum ipſius Civitatis, Villæ, Oppidi, Capituli, Conventus, vel Univerſitatis; non tamen ſingulares perſonas. (*n*) 46. Bene tamen verum eſt, libellum poſſe concipi contra Civitatem, & Villam, Oppidum, Capitulum, Univerſitatem, vel Conventum, & ſi ab eis mittatur Syndicus reſponſurus, poterit cum eo proceſſus agitari, ſecundum Joann. Plateam (*o*) aſſerentem, 47. quod ſi ſolus Syndicus citaretur, & compareret, ſententia valeret, pro cujus opinione facit dict. lex 13.

48. Septimo advertat Actor, an actio, quam velit intendere, competat ſibi contra aliquem defunctum, qui deceſſerit, relictis hæredibus, quia tunc prius debet à Judice petere mandatum contra hæredes ad adeundam, vel repudiandam hæreditatem intra certum tempus: nam omnes hæredes debent requiri, prius quam curator detur bonis, (*p*) quo caſu, petitio modo ſequenti formabitur.

Iluſtre Señor.

49. „ Fulano, como mas haya lugar de „ Derecho, parezco ante Vmd. y digo, que „ Fulano me eſtà obligado à dàr tal coſa, y „ es difunto, y paſſado de eſta preſente vida, „ y dexò por ſus hijos, y herederos legitimos „ à Fulano, y à Fulano; à Vmd. pido mande „ dàr ſu mandamiento, en que mande à los „ dichos ſus herederos, que dentro de un bre- „ ve tiempo parezcan ante Vmd. legitima- „ mente à aceptar, ò repudiar la dicha he- „ rencia, ſobre que pido juſticia, y el ofi- „ cio de Vmd. imploro, y juro en forma de „ Derecho, &c.

Tunc

(*i*) Argum. eorum, quæ notat gloſſ. in leg. fin. §. *Neceſſitate*, Cod. de *Bon. quæ liber.* & in ſpecie firmat Alber. quem ſequitur Palac. Rub. in repet. cap. *Per veſtras*, §. 27. n. 1. & 2. de *Donat. inter vir.* Segur. in repet. leg. 1. §. *Si vir uxori*, col. 2. ff. de *Adquir. poſſeſ.* & Ciſuent. in dict. leg. 55. Taur. quæſt. 16. & ibi Ant. Gom. n. 3.

(*j*) Juxta text. in leg. 1. §. *Sufficit*, ff. de *Admin. tut.* Ubi Bart. & Imol. in leg. *Contra pupillum*, ff. de *Re jud.* & probatur in cap. *Sua*, & ibi not. Dec. de Appell. n. 1.

(*k*) Ut probat text. in leg. *Clarum*, Cod. de *Aut. præſt.* & in leg. *Acta*, §. fin. & in leg. *Contra pupillum*, ff. de *Re judic.*

(*l*) Ut probat text. in §. *Item inviti*, Inſtit. de *Curat.* & in leg. *Qui habet*, §. *Si pupillus*, ff. de *Tutel.* & in leg. 7 tit. 2. Part. 3. & leg. 13. tit. 16. Part. 6.

(*m*) Ut docet Bart. in leg. *Et ſi ad ſpecies*, ff. *Rem pupil.* Et Neviz. in conſil. 17. n. 64. Alex. in conſil. 122. tom. 1. & Menoch. lib. 2. de Arbitr. cent. 2. caſ. 50. n. 25.

(*n*) Ut probat. text. de *Jur. com.* in leg. *In tantum*, §. *Univerſitatis*, & ibi Doct. ff. de *Rer. diviſ.* & in leg. *Sed ſi hac*, §. *Qui manumittitur*, ff. de *In jus voc.* & de *Jur. Reg.* in leg. 13. tit. 2. Part. 3.

(*o*) In leg. 1. Cod. de *Jur. reip.* lib. 11.

(*p*) Ut docet Bartol. in leg. 1. n. 3. ff. de *Curat. bonis dand.*

50. Tunc Judex præcipit, quod intra tres dies compareant ad acceptandam, vel repudiandam hæreditatem, vel intra alium terminum à Judice præfigendum, ſecundum diſtantiam loci: & ſi in illo termino non comparuerint, actor incuſabit eis contumaciam, & Judex præcipiet, quod intra alios tres dies compareat, ad adeundam, vel repudiandam hæreditatem: & iſto ſecundo termino elapſo, actor incuſabit ſecundam contumaciam: & tunc Judex aſsignabit tertium terminum aliorum trium dierum, aſſerens, quod ſi non comparuerit, habebit eos pro acceptantibus, vel repudiantibus, prout actor maluerit: intentabitque actor adverſus eos, tanquam in hæredes acceptantes: nam elapſo tempore per Judicem conceſſo ad deliberandum, hæredes habentur pro acceptantibus, vel repudiantibus, quod deterius eis fuerit, (*q*) 51. quod tamen intellige verum, quoad creditores, ad quorum inſtantiam terminus fuit præfixus, quia ſolum eis prodeſt, non aliis. (*r*)

52. Sed hæredes ſi in aliqua ex illis dilationibus comparuerint, petendo tempus juris ſibi aſsignari ad deliberandum, an adire, vel repudiare debeant hæreditatem, tunc tempus juris poterit aſsignari, quod eſt unius anni, ſi à Principe impetretur, & ſi ab alio Judice, eſt novem menſium, ut probat text. in dict. l. *Scimus*, §. *Et hæc quidem*, C. de *Jur. delib.* cui convenit l. 2. tit. 6. Part. 6. 53. ubi dicitur, tempus novem menſium poſſe coarctari arbitrio Judicis, dummodo non ſit tempus minus centum dierum: quod procedit, ad hoc ut hæres habeatur pro adeunte, vel repudiante; tamen quoad hoc ut curator bonis detur ad reſpondendum creditoribus, brevius tempus præfigi poterit à Judice. (*ſ*) 54. Et hinc praxis orta fuit, quod Judex aſsignat decem, vel viginti dies hæredibus ad acceptandam, vel repudiandam hæreditatem defuncti, (*t*) ſed ſi intra terminum eis præfixum adierint hæreditatem, vel nec adierint, nec recuſaverint (quo caſu pro adeuntibus habentur, ut ſupra diximus) adverſus eos actio erit intentanda: at verò ſi hæreditatem recuſaverint, requirendi erunt quibus cauſa ſucceſsionis contingit: (*u*) & ſi in gradu ſequentes ſe abſtinuerint, tunc actor petet, curatorem, vel defenſorem bonis dari, qui dandus erit: (*x*) nam perinde erit, ac ſi ſine hærede defunctus decederet, quo caſu curator bonis datur, (*y*) & curatore, vel defenſore dato, adverſus eum erit intentanda. 55. Similiter quoties maritus, vel ejus hæres, aut quilibet alius creditor voluerit convenire uxorem, aut ejus hæredem, prius debebit petere à Judice, quod præcipiat, ut intra breve tempus uxor, vel ejus hæres acceptet, vel repudiet lucra quæſita conſtante matrimonio. (*z*)

56. Octavo advertat Actor, an reus conveniendus, ſit abſens in partibus remotis, vel ſit captivus, ita quod de proximo non ſperetur venire, quia tunc prius debebit comparere coram Judice, aſſerens adverſarium ſuum ſibi debere certam quantitatem pecuniæ, abſentemque eſſe in partibus remotis, & bona reliquiſſe, opuſque eſſe, defenſorem illis bonis dari, adverſus quem ipſe actionem intendat, quo caſu Judex (recepta informatione abſentiæ, debiti, & quòd illa bona ſpectant ad abſentem) præcipit bona ſequeſtrari, & defenſorem eis dat, adverſus quem actor pro ſuo debito aget, (*a*) & proceſſus fulminabitur, ut dicimus infra in 5. Part. hujus primi Tomi.

EX TERTIO TEMPORE.

SUMMARIA.

1 *Citatio quid ſit?*

2 *Judicium propriè non incipit à citatione, ſed impropriè.*

3 *Citatio neceſſaria, ut judicium inchoetur.*

4 *Defenſio à Jure naturali provenit.*

De

(*q*) Ut probat text. juncta gloſſ. verb. *Deliberationem* in leg. *Scimus*, §. *Sin autem*, Cod. de *Jur. delib.* Et tradit Palac. Rub. in repet. Rubr. §. 66. n. 3. de *Donat. int. vir. & uxor.* Explicat Mantic. in lib. 12. de Conject. ult. volunt. tit. 13. à princ.

(*r*) Argum. leg. de *Ætate*, §. *Qui tacuit*, & in leg. fin. ff. de *Interrog. act.* docet Bald. in Rubr. Cod. de *Succeſ. edict.* à nemine reprehenſus ſecundùm Gregor. Lup. in leg. 2. tit. 6. Part. 6. verb. *Cien dias.*

(*ſ*) Ut probatur in leg. 1. §. *Sanè*, ff. de *Succeſ. edict.* & in leg. *Si curatoris*, Cod. de *Jur. delib.* & firmant communiter Doct. ex Alex. Jaſſ. & Dec. in Rubr. Cod. de *Succeſſ. edict.* Et notatur in gloſſ. cap. *Ex parte* 1. de *Verb. ſignif.*

(*t*) Secundùm Palac. Rub. ubi ſupr.

(*u*) Secundùm Bart. in leg. 1. n. 3. ff. de *Curat. bon. dand.* & Greg. Lup. in leg. 12. tit. 2. Part. 3. in gloſſ. verb. *Sus herederos.*

(*x*) Ut in dict. leg. 1. ff. de *Curat. bon. dand.*

(*y*) Ut probat text. in leg. *Si diu*, ff. *Quib. ex cauſ. in poſſeatur*, & in leg. 12. tit. 2. Part. 3. not. Angel. & Imol. in leg. *Si ſervus hæreditarius*, ff. de *Stipul. ſerv.* Et Jaſſ. in leg. *Cum debitoris*, Cod. de *Judic.* Et notat Menoch. in lib. 2. de Arbitriis, cent. 2. caſ. 150. à n. 1.

(*z*) Ut docet Palac. Rub. in dict. Rubr. §. 66. &c.

(*a*) Quod procedit per text. in leg. *Ab hoſtibus*, juncta gloſſ. ibi, ff. *Ex quib. cauſ. major.* & in leg. 12. tit. 2. Part. 3. Et notat Menoch. lib. 2. de Arbit. cent. 2. caſ. 150. à num. 15.